This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

$B 65 253

P A
6755
A5
G5
1896
MAIN

P. TERENTI

ADELPHOE

PRINCIPIA CRITICA SECUTUS AB USITATIS DIVERSA

RECENSUIT

MICHAEL GITLBAUER.

CUM SPECIMINE EDITIONIS QUADRICOLORIS.

YC 55134

VINDOBONAE.
[SU]MPTIBUS ET TYPIS „AUSTRIAE“ (FRANCISCI DOLL).
1896.

LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
Accession 768y ad
Class 1896 g

P. TERENTI

ADELPHOE

PRINCIPIA CRITICA SECUTUS AB USITATIS DIVERSA

RECENSUIT

MICHAEL GITLBAUER.

CUM SPECIMINE EDITIONIS QUADRICOLORIS.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS ET TYPIS „AUSTRIAE“ (FRANCISCI DOLL).
1896.

uerborum ordinem mutaui: enucleaui uersus, non illos dubios, quibus tota comoedia non usus est Terentius, neque licentia nimia foedos, sed obuios omnes tamque puros ut paene alieni ab arte metrica Terentii uideantur.

Ut nihil dicam de caesuris legitimis ad amussim seruatis, de paruo synaloepharum numero quodque ex septem adhibitis duae tantum uocalem longam (quarum altera in uoce monosyllaba, sed quae ut praepositio artius cohaeret cum proxima), una mediam, ceterae breuem supprimunt, id praesertim commemorandum, licentia quam uulgo ei uindicant syllabas corripiendi positione longas omnino non usum esse Terentium. Item frustra requires synizesin eius generis cuius est *eūm*, *suōm*, similia. Dicet quispiam non contineri hoc loco tales uoculas: at id ipsum iam magni momenti in hac parte, quam certo non tetigerunt qui uersus Terentianos restituere conati sunt, cum qui uersus essent eliciendi prorsus ignorarent. Neque id praetereundum silentio, nullam esse horum octo uersuum uocem uel minimam quam omittere possis quin ipse uersus turbetur, cum aliis locis sescentis uoculas ut *mihi me hac ea id* ita eicere queas ut stet uersus, si uerborum ordinem inuerteris, haud raro etiam, si nihil omnino mutes: cuius rei sat multa documenta in hac Adelphorum editione facile reperies. Praeterea obserues uelim adlitterationem (sit uenia uerbo) persaepe, ut in loco tam exiguo, adhibitam: ***D**iscrucior* ... ***d**e inprouiso **m**ihi **m**ali hocine obici, **M**etu* ... ***m**embra, **C**onsistere* ... ***c**onsilii, **m**ihi **m**e, **i**d **i**ndicium:* quam artem bis destruxerunt uiri docti, Bentleius scribendo *ex inprouiso,* God. Hermannus omittendo *con* uocis *consistere.* Denique ipsa uersuum collocatio artificiosam quandam rationem sequitur:

iamb^8 troch^8 *catal.* iamb^8 *catal.* iamb^6 iamb^6 troch^8 *catal.* iamb^6 iamb^6

Ne scrupulus in animo resideret, in alios quoque locos Terentianos accuratius inquirere statui. Deprehendi u. 339, quem uariant libri: legitur enim in codice α (Bembino): *Nunc si hoc palam proferimus, infitias ibit scio,* in reliquis libris: *Nunc si hoc palam proferemus, **ille** infitias ibit; **sat** scio*, unde qui Terentium edidere uersum contexuerunt: *Nunc si hôc palam proférimus, **ille** infitias ibit, **sát** scio.* Id eo minus ignoscendum quod pro reuerentia qua codicem Bembinum prosequuntur saltem prudenter dubitare debebant uiri docti: at omnes ad unum conflauerunt

pessimo modo, scilicet prorsus peruerso, utriusque generis scripturam sumpto ex *α* ***proferimus***, ex reliquis codicibus ***ille*** et ***sat*** (credas ut foedam synaloephen *si hoc* seruarent tamquam sacrosanctam!), cum e contrario **ille** et **sat** erant abicienda cum *α*, ex ceteris libris *proferemus* adsciscendum: *Nunc hóc palam si próferemus, íbit infitiás scio.*

Iam uides ex hoc exemplo, quo modo rem instituerint et qui Terentiani comoedias in orationis pedestris formam redegerunt et qui inde uersus restituere conati sunt. Mutarunt priores ordinem uerborum ponentes particulam *si* in enuntiati initio, uerbum *ibit* in fine (i. e. post *infitias*), ita ut ex uersu genuino fieret: *Nunc si hoc palam proferemus, infitias ibit scio.* Turbato uersui mederi duplici modo studebant: erat qui numeraret syllabas mutaretque tantum *proferemus* in *proferimus: Nunc si hoc | palam | profe|rimus | infi|tias ibit | scio,* erat alter (num Calliopius?) qui suppleret quae post mutatum uerborum ordinem deerant duas syllabas inserendo *ille* et *sat,* ita tamen ut intacta relinqueret illud genuinum *proferemus:* quod ultimum pristinae scripturae uestigium ut delerent nostrorum temporum homines critici sibi sumpserunt!

Haec mea sententia haud exigue eo firmatur quod longe plurimi libri Terentiani non uersibus sed continua oratione scripti sunt. Quin etiam ii codices in quibus uersus distinguuntur hinc illinc partes maiores habent ubi metrorum nulla est ratio, ut ***F.*** Id quoque commemorandum, uerba interpolata haud raro inueniri in confinio uersuum, ut e. g. uariae uocis *aliquis* formae 38 150 283 360 744 786: ex quibus locis maxime ad rem faciunt 38, ubi *aliquid* in *α* ***FP*** uersui 37 adnexum, et 360, ubi in *α* iterum *sat* deest et codices ***FP*** uersus 359 et 360 non discernunt. Praeterea in singulorum librorum nonnullis locis uerborum ordo differt a reliquorum scriptura, u. g. 554, ubi pro eo quod uulgo traditur *Non hercle hic quidem* ***durare*** *quisquam si sic fit potest* in ***G*** legitur *Non hercle hic quidem quisquam si sic fit* ***durare*** *potest,* in ***D*** *Non hercle hic quidem* ***durare*** *quisquam si sic fit* ***durare*** *potem,* ubi scripturam prosam restitutamque inde metricam in unam coaluisse apparet: ceterum formam genuinam foedius deprauatam hoc loco esse testatur Nonius, qui hunc uersum ita adlegat: *Non hercle hic* ***qui uult*** *durare quisquam si sic fit potest.*

Interroganti quanam aetate in sermonem pedestrem mutatae et quando formae metricae sint redditae Terentii comoediae haec

habeo quae respondeam. Ex insigni loco Phormionis 239 sqq. quem in appendice uariis coloribus tractatum adposui, facile intellegendum iam Ciceronem, a quo 241—246 laudantur, non cognouisse genuinam Terentianarum comoediarum formam, sed eam quae ex prosa oratione restituta erat recensionem uel, ut accuratius dicam, eius generis unam recensionem: differt enim duorum uersuum scriptura quae in libris nostris inuenitur quam maxime a textu Ciceronis suntque hae uarietates tales ut neque Cicero neque libri, qui etiam inter se ipsi discrepant, pristinos Terentii uersus exhibeant: immo utroque teste utendum ut quid uere scripserit poeta patefiat.

Quae uel displicent in hac parte uel omnino nequeunt ferri haec sunt.

Ex duobus *secum* (242 et 243) non nisi alterum genuinum censeam: est poeta tam elegans Terentius qui uitet eius modi repetitiones; confirmatur haec opinio, cum apud Donatum altero loco haec uocula desit. Contra non eicienda uox *exilia* (243): proximi uersus tria membra *fili peccatum, uxoris mortem, morbum filiae* docent lacunam hiare in Ciceronis textu. Ceterum primum tantum *aut* uersus 244 genuinum est, alterum tertiumque spurium; nam res plana: suos cuique a u t propinquorum casus extimescendos peregre redeunti dicit poeta; itaque primum illud *aut* duplicis generis trina exempla inter se coniungit (quae uis particulae sequente altera et tertia obfuscatur): exempla ipsa certe utrobique ἀσυνδέτως enumerauit Terentius, id quod facile adsequendum scribendo *filii*, praeter quam litterulam a me toti huic parti nihil additum lectorem monuerim.

Lepor huius loci is est ut seruus repetat senis uerba, inprimis clausulae, iisque pro sua condicione utatur non mutatis nisi quantum constructio grammatica requirat. Mirandum igitur 246 legi *eueniat*, 251 *eueniet*, cum prorsus nulla causa uariationis appareat: nam quod 246 α habet *eueniet*, 251 E_2 *eueniat*, id nihil probat nisi ne Bembinum quidem codicem a uoluntariis mutationibus esse liberum. Praeterea discrepat in codicibus Terentianis scriptura uersuum 245 *animo* ***sit*** *nouom* et 250 ***accidet*** *animo nouom:* putaueris standum a Ciceronis scriptura quae utroque loco uerbum *accidendi* exhibet et insuper ***horum*** *umquam*, quae duo uerba genuina esse uersus 250 documento est qui offert ***horum*** *quicquam*. Sed falso: nam id ipsum, quod 245 Cicero et libri nostri uarient *accidat* et *sit*, certissimum indicium est, ab initio neutrum

ibi fuisse: immo incepit primitus et u. 246 a uerbo *eueniat* et u. 251 ab *eueniet:* quod uerbum qui prosam orationem ex uersibus fecit cum post *quidquid praeter spem* collocasset, suppletum est a librariis 246 uel *accidat* uel *sit*, 251 *accidet.* Gratias agendum prosaico quod *eueniat* et *eueniet* non mutauit, sed scripturam Terentii intactam reliquit: uides enim hanc uarietatem scripturae uu. 246 et 251, quam poeta certe non admisit nisi necessitate grammatica coactus, ducem esse ad genuinam uersuum formam restituendam.

Ad artem metricam quod attinet, u. 249 eo foedatur quod uacat caesura. Non minus foedae sunt sat multae quae inueniuntur in hac parte uocum monosyllabarum synaloephae: 239 *spem atque, mihi obtigit* 240 *sum inritatus* 241 *Quam ob rem omnis* (legendum *Quobromnis!!)* 246 *spem eueniat* 251 *spem eueniet.* Vocales quamquam pluribus sequentibus consonis non productae 248 *ĕ́rŭs si rédierit* et 250 *Ŏpŭs rúri.* Porro praepositio *praeter* ubique ita posita ut, quamuis spondaice sit metienda, tamen cum pedis fine concurrat: id quod, si excipias primam et paenultimam uersuum iambicorum sedes, non modo apud posteriores poetas non licere sed ne apud Terentium quidem spero lectorem sibi persuasurum, ubi meam Adelphorum recensionem inspexerit. Idem ualet de ea quae clausula uersuum 245 et 250 infringitur regula: debet enim paenultimus uersus iambici pes aut spondeo aut anapaesto expleri praeter quosdam casus qui ad hos locos non pertinent (⏖ ⏑ | – ⏑ – uel – | ⏑ – ⏑ –, numquam uero ⏖ ⏑ – | ⏑ –).

Quas difficultates omnes remouere contigit partim seclusis interpolationibus partim uerborum ordine immutato. Omisi 239 *-st hoc mihi* 240 *sum ut* 242 *secum* (quod Donatus omisit in proximo uersu) 244 *aut aut* 245 *esse fieri* (cum Cicerone et α) *posse* (cum Cicerone) *accidat* (cum libris) *sit* (cum Cicerone) 246 *id* (quod alio loco legitur apud Donatum) *esse in* 247 *-st* 248 *mihi* (apud Donatum alio loco positum: Lactant. Inst. VII 27 3 et Donatus in proximo uersu *mihi* omittunt cum γ) *esse* (pro quo ***EP*** habent *est* quodque omittit Donatus) 250 *accidet* 251 *id esse in:* uoces fere ad unam omnes leuissimae naturae, quales solent intrudere interpolatores. Ut ad remouendas interpolationes, ita etiam ad genuinum textum restituendum usui erant cum Cicero Donatus Lactantius tum librorum unumquodque genus: submnistrauerunt βγ uersus 240—242 omissos in α, αβγ 243 *exilia* et 244 *ut*, omissum utrumque a Cicerone, legitur apud Ciceronem 245 *horum umquam*,

quod neglectum a codicibus, habet γ 224 et *mihi* et (cum Lactantio atque Donato) *usque*.

Quod 245 libri βγ tradunt, *fieri posse*, glossema est, ad explicanda uerba quae praecedunt *Communia esse haec*; habet enim Donatus *Communia esse haec*: *fieri posse* i. e. lemma cum explicatione. Itaque aut Calliopius Donati commentario uel eius fonte minus prudenter usus esse uidetur aut irrepserunt haec ex glossemate quod erat inter lineas: id probabilius factum in α, ubi sola uox *possum* interpolata. Quod ego scripsi *Communia haec*, pendet a uerbo *deputare* (245) totaque sententia ita ordinanda: *Peregre rediens semper secum cogitet* (sei stets darauf bedacht), *pericla damna exilia aut filii peccatum uxoris mortem, morbum filiae — communia haec* (quae uox omnia quae enumerata sunt iterum ut unum quid complectitur) *deputare, ut nequid horum umquam animo nouom eueniat, quidquid praeter spem (*i. e. *eueniat) omne lucro* (i. e. *deputare cogitet*). *Lucro* est datiuus: *lucro deputare* dictum ut apud Tertullianum *delicto deputare*. Quam sententiae ordinem cum non intellegeret qui librum *P* correxit, ex *deputare* fecit *deputa*.

En habes exemplum rationis, qua restituere conatus sum Adelphos Terentii quaque in posterum et reliquas Terentii et Plautinas (nam hae quoque fere eodem modo foedatae) comoedias ad pristinam formam, si Deus uitam ac bibliopolam prouidebit, redigam. Ex indice eorum quae remoui uidere licet certis plerumque uoculis usum esse et prosaicum ad orationem poetae quam maxime concinnam (cf. pauca tantum exempla 195 *Nollem factum* 204 *De argento somnium* 244 *Pudet nihil?* 561 *Factum* 670 *quis despondit? quis dedit?* 937 *Aufer* 696 *duces uxorem* [sic α sine *hanc*, quod addunt reliqui libri] 940 *De te largitor, puer*) ampliandam et recensorem, qui uersus restituebat, praecipue ad synaloephas uitandas. Prioris generis sunt, ut unum alterumue modo exemplum adferam, uoces ab *aliquis* deriuatae 38 150 283 358 360 385 401 453 552 744 785 948 980, *homo* 407 440 540 *agis* (ubique cum scriptura uaria *ais*) 60 128 543 556 570, posterioris *sat* 339 360 526 834 835 937, *hercle* 190 247 268 362 375 419 439 483 551 637 683 902 928 975, utriusque uaria pronomina *ego tu hic ille*, porro *est esse*, similia, quae facili negotio ipse inueneris. Haud raro hae uoculae spuriae etiam in uno alteroue codice desunt, quod additis signis, uel uariantur in libris, quod addito asterisco (*), uel transponuntur, quod addito accentu (′) notaui. Nonnullae uoces ab *a* incipientes ex non intellecta personae nota (A uel Δ) ortae

uidentur: 112 *Ah* 132 *A* 215 *Age* 223 *Age* 271 *Age* 553 *Age* 571 *At* (cf. 626 ubi haec tradunt libri *mitto*[α] *omittio*[G] [*i* illatum ex *id* proximi uersus, quod G cum α omittit] *amitto*[D1] ***age mitto***[γ]: unde manifeste apparet ***age*** ex ***a*** natum esse) 853 *Ah* 837 *Age* 941 *Age* 982 *Age*.

Artem metricam Terentii artioribus legibus teneri quam adhuc creditum est uix infitiandum. Sine ulla uerborum ipsorum mutatione, eiciendo tantum inepta illa et ad nauseam usque iterata *ego mihi tu ille id hoc aliquid est esse herde age* similia et restituendo poeticum uerborum ordinem, id effeci ut synaloepharum cum numerus tum licentia (praesertim in uocibus monosyllabis) restringeretur. Contigit item uitare ne in uersibus iambicis anapaesti, in trochaicis dactyli continuarentur, ne uersuum iambicorum pedes (praeter primum et paenultimum) uoce in anapaestum uel spondeum neue trochaicorum uoce in dactylum exeunte finirentur, ne in iambicis anapaesti, in trochaicis dactyli formarentur huius generis – ◡◡ | – uel – ◡ | ◡ – (excepto *nescio quis, uidistine? Tuomne* aliis, ubi prior uel utraque syllaba breuis est altera pars uocis compositae, et –◡◡|– ut *incredibile obtigit*). Ad prosodiam quod adtinet, bis tantum leui mutatione (306 et 521) opus erat ad remouendam correptionem syllabae positione ut aiunt productae: ceteri loci facillime poterant sanari. Idem dicendum de synizesibus: soli uersui 536 grauior medela adhibenda erat qua *meās* in duas syllabas solueretur. Minus seuerus fui in admittendo hiatu: nam praeter casus iam pridem obuios 183 304 *o hominem* 336 *mi homo* 680 *quaé agis* 780 *quo abis?* et 118 *dum erit* 143 *nam itást* 341 *quom amet* usus sum hac licentia etiam 268 *mi Aéschine* 281 *hercle hóminem* (in caesura tetrametri iambici) 407 *de inprouiso: 'Aéschine* et 157 *dum aderó* 463 *quém adoptandum.* In uniuersum aestimanti multo minus differre inter se uersus Terentianos et Phaedrianos quam hucusque creditum satis appareat.

Restat quaestio, quid causae fuerit redigendi uersus ad formam sermonis pedestris idque ante Ciceronis tempora, quippe quem iam textu qui ex prosaico restitutus erat usum esse uidimus. Crediderim id factum quo facilius intellegi posset sensus ab hominibus etiam minus eruditis. Nam si cogites uersus genuinos, in quibus ordo uerborum non ita planus erat qualis hodie est in codicibus qualisque iam erat in libro Ciceronis, scriptura continua exaratos fuisse, certe non ita facile fuit non solum adulescentulis,

qui fortasse in schola legebant comoedias Terentianas, uerum etiam natu maioribus, nisi forte ualde erant litterati, elicere sensum ex illa singularum litterarum congerie, praesertim cum, ut dixi, uerba inter se coniungenda persaepe sat magno spatio separarentur.

Utcumque res se habet, spero neminem futurum qui neget artem criticam quod ad Terentianas (et Plautinas) comoedias adtinet abhinc prorsus alio modo tractandam.

Restat ut nonnulla corrigam quae tum demum mutaui, ubi primus quaternio typis iam erat expressus. Itaque legas uelim:

97 dico: tú sinis corrúmpi*er*.
200 Tántidem haec ob málefacta emptam póstulat sibi trádier.
203 téstis faciet
213 Vsque ámbo fessi uérberando
230 Complúres, hinc item ália
234 Quor passus?
278 námque properat
308 indigne túlerat
322 té mihi tulisti óbuiam
330 quid crédas iam? quoi crédas?
340 Tua fáma, gnatae uíta
344 sita.
357—358 illum sí potest Etiám, rei quist, ád nequitiem dúcere
359 crédo ductum
406—407 intéruenit, Coepít clamare de ínprouiso ʻAéschine,

Iam sequitur index eorum quae partim contra codicum auctoritatem partim secutus aut unum alterumue librum Umpfenbachianum ($\alpha = \boldsymbol{A}$, $\beta = \boldsymbol{DG}$, $\gamma = \boldsymbol{BCEFP}$) aut testem aliquem antiquum omisi.

PROLOGVS.

4 eritis'^{C} 5 an$^{\alpha}$ id$^{\gamma}$ factum^{C} 7 Eam 9 in eum 10 locum 11 [ex]tulit^{D} 15 isti 17 illi esse 20 in negotio 23 ii* 25 poetae ad scribendum.

ACTVS I.

28 hoc 29 Aut ibi si cesses[Fleckeisen] 30 in te et quae in animo cogitat[Fleckeisen] 32 aut 33 Aut tete aut ea at- 34 Et tibi bene esse, soli sibi quom sit male[Fleckeisen] 36 aut ille 37 Aut 38 Aliquid 39 sit est* 40 hic meo[α] adeo[βγ] 41 inde 42 hanc at- 43 et 45 uitam 46 se 50 contra 51 omnia[α] 56 Aut audebit 57 et 60 agis* 62 tu 64 ipse[V] que[GV] 66 esse 68 est et 69 qui[γ] 70 id 72 Ille ad- 73 par que 74 est 77 se'[α] 78 et 79 iam (cf. 83) 80 te 81 ipsum 83 siet 86 illa antehac 92 esse hoc[E] 93 denique[G] 95 esse[G] ac* 96 illi 97 illum 98 est[α] 100 tu[E] 101 mihi 104 nunc (cf. 105 n*on*) 105 tum* 106 id[V] 109 foras 111 tu 112 Ah 113 ob- hac 121 et[βγ] 122 et 123 aut aut 124 in hac ré* 126 es 128 agis* ego 129 uerum 131 ambos 132 A* 133 istic* 135 Iam 137 sum em[γ] 139 est 140 in illum 141 haec[F] 142 haec 143 illi 145 Tamen* uerum 146 sim (cf. 45 si*n*) 147 nobis[C] 149 hic 150 Aliquid 153 autem nisi.

ACTVS II.

156 -iam hic 157 tanget[D] 159 est umquam 160 Aeschine[P] te 161 ego[Donatus in lemm ed. princ] ita 162 mihi' 163 esse hoc 165 ego haec hac 166 esse egomet 167 ac 168 tu[α] at[α] 169 hic 170 oculis 172 ergo* O- 175 -iam[P] tu'[Don.] 177 est 178 tui at- 179 meum 180 erit 181 iam 183 esse 184 iam' 185 autem in me 186 Iamne id 187 Cupio 190 hercle hoc* 191 tu 192 ego tibi'[G Lactant Plac] 193 id 194 illam* 185 uíde[Don ed princ] 196 hoc égo 198 Domo* me 201 enim quando 202 ego hoc[F1?] 206 Verum oc-* 207 et 208 ego* 209 iam[αβ] et- 210 esse est 211 cum 212 haec hodie 213 de- 214 facerem* 215 Age 216 hui 217 atque 218 esses 221 ego 223 Age 224 autem 225 illuc hoc* 227 hoc[B] 230 et 231 eo* 232 o-* ac 233 rés[G] 235 aut[β] hic[α] aut 236 id[γ] 238 hanc mihi 246 abeo 247 hercle[E] 250 esse[α] 251 et 253 te 255 id facere is 256 te'[E] 257 ita id 258 unam me 259 esse 261 est sit 263 et[Nonius] 264 nam 265 nam 267 o- 268 o- illam facile[α] hercle[αγ] 269 coram[Arusianus Priscianus] 270 facere 271 Age 272 Sed[αG] hoc mihi paene 275 ut istaec 278 hic 281 Hem*[α] te'[βEF] 283 Aliqua ego 286 autem[αγ] 287 hoc[βγ] hunc.

ACTVS III.

291 autem 293 iam^{E} 294 semper 297 ex 298 ut 299 sua 302 se βγ 305 et 306 illum 308 ob- 310 sum ita. 311 totam^{BC} 312 ego γ hanc′ 313 id$^{\textit{Charisius}}$ 314 ipsi 315 autem 316 medium primum capite 318 ipsi 319 et 320 hoc hem$^{\alpha_2}$ 321 es$^{\alpha}$ me$^{\alpha}$ 324 Quid est 325 ergo γ 326 ergo 327 oc-* 329 hoc β est^{D} -ce$^{\alpha}$ ah^{EF} 330 aut 331 omnium′ 332 Erunt$^{\textit{Bentley}}$ se 333 se 334 ita sibi* 335 ac porro 337 esse′ mihi quidem 338 esse′ 339 ille$^{\alpha}$ sat$^{\alpha}$ 340 et 344 est 345 praeterea 347 est′ a-$^{\alpha}$ 348 ego esse 349 ullam 350 ac-$^{\textit{Bentley}}$ ut 351 huius′ 353 alius^{G} 354 sit 356 ad-$^{\alpha}$ 358 alicui eum′^{EG} ad-^{D} 359 ego ab-$^{\textit{Paul Festi epit}}$ 360 Aliquo sat$^{\alpha}$ 361 iam′ hinc 362 hercle 364 Omnem 368 id′$^{\beta E}$ 371 Hem 375 hercle 379 Mihi quidem 380 haec 382 habet 385 aliquo O 386 est 388 istaec 389 an 392 que$^{\alpha}$ ac$^{\alpha}$ 393 hoc 395 futilis$^{\alpha C}$ tu′$^{\alpha}$ 396 illum non 307 -quam 398 tu^{E} 399 est esse 400 eum 401 aliquid 404 est′$^{\alpha}$ 405 uero 406 Nam 407 homo o 408 te^{D} 409 nostro 410 hoc 411 suom 412 Syre 415 in in γ 416 atque 419 hercle est^{G} 420 mihi 421 hi$^{\alpha}$ mihi 422 Nam 423 et 428 in in 429 facto 430 haec 433 tu 435 hinc* 435 rem (*cf.* quem) huc′* 438 est 439 is* hercle 440 Homo iam 441 iam o^{D}γ 442 ac 443 sit 444 etiam 445 -iam 446 hic^{E} et 448 Ex 449 esse 451 illi 452 eius* 453 alicubi 454 illos 455 est 456 es 459 me 464 est′ 465 est atque 468 -quam$^{\alpha}$ est^{P} etiam β 469 quidem 473 se 474 est est est 475 est hic$^{\textit{Bentley}}$ 478 tu βγ 480 est 483 hercle ex- 485 huic^{E} 488 nam^{E} 489 nunc′^{EG} 491 ut uobis 493 illum 494 mihi pueris 495 et 500 hoc cum 506 intro γ 507 utinam hic* 508 uerum 510 ac 511 fac 512 ego 513 atque 514 ut sit 515 est eius.

ACTVS IV.

520 hoc^{P} e 521 et hunc 522 nimis*′βγ ut-βγ 523 Et 524 est quod abesset 525 illi* posset* iterum 526 huc sat 527 hodie 528 est 529 est 530 data sit 531 hic 532 etiam 540 homo primum$^{\textit{G. Hermann}}$ 541 autem 542 esse 543 agis* 544 malum 548 hunc is 550 ille* huc′^{F} 551 hercle 552 Nam aliquam 553 Age 554 hic quidem 555 haec est 556 ais* 557 est 558 et 559 uide 560 Quam ob rem? esse hinc modo 565 ne′ 566 et 569 Sed 570 ais* 571 At

573 hanc* deorsum 574 hac 576 est 577 est 580 est
581 ditis^{F} 584 et ex-$^{\alpha}$ est 587 ego es 589 autem 590 erit
591 et 592 in hac re 593 Meum est 594 si^{D} esse^{E} ita 596 id
598 ut 600 hanc esse* et 601 ita ita 602 Nam 603 sed
605 sunt magis 608 ipsi* 609 hac 617 id$^{\beta\gamma}$ ut hinc$^{\alpha}$ ea$^{\alpha\beta}$
eam′ 620 nobis$^{\alpha}$ adhuc nos 622 Hem est^{E} 623 id* 624 illi
ac 625 hanc* 626 age 627 id$^{\alpha G}$ 628 ab- est 629 fieri^{G}
641 nunc* 632 Nunc 633 -ce^{B} fores^{D} 636 ego^{G} sunt*
637 hoc* hercle 638 hic^{C} est has 639 hunc 640 hoc mihi
641 mihi 642 esset 644 uero 648 has* et 649 com- 650 est
Haec 651 Hic 653 Is a- 654 Nam Hem a-$^{\alpha}$ 655 usque^{G}
656 Quid^{P_2} Quid 659 esse 660 haec 661 hinc 663 atque etiam
665 illi 666 illa 667 illam 668 hanc sibi 669 ab 674 mi 675 id
677 quid^{D} 678 aut cum 679 Quid 681 o$^{\alpha\beta\ Seruius}$ mi^{Seruius} 682 in
me^{D} id 683 hercle 689 aut 690 mihi 692 et$^{\gamma}$ et et 693 tibi
694 illam 695 te 696 hanc$^{\alpha}$ 697 nunc^{Diomedes} 698 hoc^{G} id-$^{\alpha\beta}$
700 Quid -ne$^{\alpha}$ ducam$^{\alpha}$ 701 nunc ego$^{\alpha}$ 704 com- eos 706 Ego
intro tu 707 est est esse 708 qui 709 est$^{\alpha\gamma}$ hem 710 Itaque
711 forte 712 intro 713 De- ut 715 omne ad 716 illic*′
717 se 720 Sed 721 ad te 723 Ah$^{\alpha}$ 724 me^{D} 728 est′$^{\alpha}$
729 Et est 732 -ine 733 rogitas$^{\alpha}$ tibi 735 est 736 magis
738 Id$^{\beta\gamma}$ 740 illud 741 illud 742 nempe 744 Aliquo* uel*$^{\alpha}$
747 erit$^{\alpha}$ in 748 -ne$^{\alpha\beta}$ 749 bene$^{\beta\gamma}$ ego′ 751 Et haec 752 Tu
753 una^{C} 754 te o-^{Don} 756 ac* in′$^{\alpha G}$ 760 Domus* 765 Abi$^{\alpha}$
766 huc 767 autem 771 Ac 772 ut 773 at- in 776 ut
777 Eho* 782 iam$^{\gamma}$ 785 interea 786 Aliquo atque 787 a ita
788 a me 789 aut 790 o o 791 id 796 hoc′ 798 est
801 esse est 803 Nam hoc 804 se$^{\alpha}$ 805 demum est 806 est
807 id 808 hoc* 809 illos 810 fore* 811 Et 812 antiquam
814 obtine 815 e- 817 Id esse omne* 819 Et et et 824 Hoc′
facere* 825 is 826 ego inesse* 827 eos$^{\alpha}$ 828 inter 831 noster
833 Solum* ad 834 sat 835 sat 837 Et istae^{G} 838 iam
840 ego$^{\beta\gamma}$ cras$^{\gamma}$ 841 immo$^{\alpha\gamma}$ 842 Et 845 Ego 846 Atque ac
847 et 848 faciam 849 atque est 851 cum illa 852 isto*
853 Ah$^{\alpha_2}$ 854 I ergo et rei

ACTVS V.

855 ita 857 te 858 tibi in ut$^{\gamma}$ 859 mihi ego 860 ex-*
id* 862 Id esse ex est 863 suam in 867 ibi 868 autem 869 in
870 aetate 871 ille 874 autem 875 Ita eos hic 876 ego′ hic

877 porro βγ ego 878 aut hoc* 879 et 880 id atque 881 id 884 tria 885 o 886 et 887 Atqui 888 est et 889 Era ego huc 890 sed 892 esse' 893 is est' 894 ita 897 es 899 nimis 901 mi 902 hercle 903 Qui 904 uerum hoc est 906 Quid haec* 910 et et ad nos 913 et α₂ 916 ac 917 et 920 est 921 huc* nunc 922 mi' 823 sed 925 Ego 926 hanc 927 ad- 928 hercle 929 huius Est 931 haec 932 eam.est Quam rem 933 Hanc te 935 autem γ 936 mi 937 Age satin 938 ego et 940 ego illis autem 941 Age 944 hoc atque 945 istuc 946 hoc 948 aliquid 949 facere hic 950 autem est et-γ 951 est 953 et est G 954 hanc 955 est et mi 957 mihi es 958 hunc est 959 ede- 960 esse 961 nam O 962 ambos 964 et 967 hac hic 969 hoc 970 ad me 971 habes et 972 utinam G 974 quidem 975 hodie haec hercle 976 quidem 977 ob eam 978 Demea 979 quidem 980 huic aliquid 982 modo Age 984 tam 985 est 986 id et 987 Id et 988 Sed et 989 adeo est 990 ob-β 991 ec- 992 id 994 Haec ob- Don 995 id 996 est

Errata sunt: 28 uero pro uere – 63 ísti pro *í*sti – 185 atque: ad pro atque ad – 259 principem, artium. pro principem artium. – 366 uídi quicquam pro uidi quícquam – 379 Haecíne pro Haeciné – 395 quantus quántus pro quántus quantus – 400 hodie pro hódie – 405 nihíl pro nihil – 448 Quod pro Qu*o*d – 483 Imno pro Immo.

P. TERENTI

ADELPHOE

GRAECA · MENANDRV · ACTA · LVDIS · FVNERALIBVS
L · AEMILIO · PAVLO · QVOS · FECERE · Q · FABIVS
MAXVMVS · P · CORNELIVS · AFRICANVS · EGERE
L · ATILIVS · PRAENESTINVS · L · AMBIVIVS · TVRPIO
MODOS · FECIT · FLACCVS · CLAVDI · TIBIS · SERRANIS
TOTA · FACTA · SEXTA · M · CORNELIO · CETHEGO
L · GALLO · COS

C. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Duós cum haberet Démea adulescéntulos,
Dat Micioni frátri adoptandum Aéschinum,
Sed Ctésiphonem rétinet. hunc citharístriae
Lepóre captum súb duro ac tristí patre
Fratér celabat Aéschinus: famám rei
Amóre transferébat in se: dénique
Fidícinam lenoni éripit. uitiáuerat
Idem Aéschinus ciuem Átticam paupérculam
Fidémque dederat hánc sibi uxorém fore.
Deméa iurgare, gráuiter ferre: móx tamen,
Vt uéritas patefácta est, ducit Aéschinus
Vitiátam, potitur Ctésipho citharístriam.

PERSONAE.

MICIO SENEX
DEMEA SENEX
SANNIO LENO
AESCHINVS ADVLESCENS
(PSALTRIA)
PARMENO SERVOS
SYRVS SERVOS
CTESIPHO ADVLESCENS
SOSTRATA MVLIER
CANTHARA ANVS
GETA SERVOS
HEGIO SENEX
(PAMPHILA VIRGO)
DROMO PVER.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

PROLOGVS.

Poéta postquam sénsit scripturám suam
Ab iníquis obseruári et aduorsários
Rapere ín peiorem pártem acturi quám sumus:
Indício de se*se* ípse erit, uos iúdices,
Opórteatn*e* laúdi uitio dúci*er*.
Synápothnescontes Díphili comoédia
Est: Cómmorientis Plaútus fecit fábulam.
In Graécast qui lenóni meretricem éripit
Adoléscens prima fábula: locum íntegrum
Relíquit Plautus. híc eum sumpsít sibi:
In Adélphos uerbum dé uerbo expressúm tulit.
Actúri nouam eam nós sumus: pernóscite
Furtúmne factum exístumetis án locum
Repréensum, qui praetéritus neglegéntiast.
Nam quód maliuoli dícunt, homines nóbilis
Hunc ádiutare adsídueque una scríbere:
Exístumant maledíctum quod uehemens, eam
Hic laúdem ducit máxumam, illis quóm placet,
Qui uóbis uniuórsis et populó placent,
Quorúm suo quisque úsus opera témpore
In ótiost, in béllo sine supérbia.
Dehinc árgumentum ne éxpectetis fábulae:
Apérient partem prími qui ueniént senes,
In agéndo partem osténdent: in comoédiis
Res géstae non narrántur, sed persónae agunt
Ipsám loquentes ínter se*se* fábulam.
Indústriam facite aéquanimitas aúgeat.

ACTVS I.

MICIO.

Storáx!
Hac nócte non a céna rediit Aéschinus
Neque séruolorum quísquam, aduorsum qui *íu*erant.
Profécto uero dícunt: si absis úspiam,
Vxór quae dicit éuenire sátius est
Iráta quam paréntes ea quae própitii.
Amáre te, si césses, uxor cógitat,
Amári*er*, potáre t*e*que animo óbsequi.
Ego quía non rediit fílius quae cógito!
Quibús sollicitor rébus nunc! ne sál*u*erit,
Cecíderit, *cr*us p*edé*m *ca*p*u*t praefrégerit.
Hominémne, uah, paráre quemquam cárius
Quod ípse quam sibi, aút in animo instítuere.
Atque éx me non, sed ést ex fratre nátus. is
Dissímili studio iámst ab adulescéntia.
Cleméntem uitam súm secutus, ótium
Vrbán*u*m, quodque fórtunatum istí putant,
Numquam hábui uxorem ego. ílle contra haec ómnia:
Ruri ágere: semper párce habere ac dúriter:
Vxórem duxit: fílii natí duo.
Adóptaui hunc ego índe maiorém mihi:
Edúxi a paruolo, hábui, amaui pró meo:
In eó me oblecto: sólumst id carúm mihi.
Itém me facio ut hábeat ille sédulo:
Do, praétermitto: nón necesse pró meo
Habeó iure agere: póstremo, alii clánculum
Patrés quae faciunt, quaé fert adulescéntia,
Ea né me celet cónsuefeci fílium.
Mentíri*er* nam quí patrem*ue* fállere
Insuérit, tanto mágis audebit céteros.
Pudóre, liberálitate líberos
Retinére satius ésse credo quám metu.

Haec frátri mecum nón conueniunt néque placent.
Venit ád me saepe clámitans 'quid, Mício?
Quor pérdis adulescéntem nobis? quór amat?
Quor pótat? quor his rébus sumptum súggeris?
Nimio ísti indulges: tú nimirum inéptus es'.
Nimírum durus praéter aequomst ét bonum:
Meá quidem longe érrat et senténtia
Qui crédat grauius, uí quod fit, aut stábilius,
Impérium quam illud quód amicitia iúngitur.
Mea rátio sic, indúco sic animúm meum:
Maló facit coáctus officiúm suom,
Dum réscitum iri crédit: tantispér pauet:
Si spérat fore clam, rúrsum ad ingeniúm redit.
Benéficio quem iúngas ex animó facit,
Studét referre, praésens absens ídem erit.
Hoc pátrium, potius cónsuefacere fílium
Sponté sua facere récte alieno quám metu:
Hoc páter ac dominus ínterest: hoc quí nequit,
Fateátur nescire ímperare líberis.
Sed éstne hic ipse, agébam de quo? cérte is est.
Nescío quid tristem uídeo: credo, ut ássolet,
Iurgábit. aduenire saluom, Démea,
Gaudémus.

DEMEA. MICIO.

DE. Opportúne ehem: te quaérito.
MI. Quid trístis es? **DE.** Quid trístis ego sim mé rogas?
Vbi Aéschinus iam nóbis? **MI.** Dixin hóc fore?
Quid fécit? **DE.** Is quid fécerit, quem néque pudet
Quicquám nec metuit quémquam neque tenér*ier*
Vllá putat se lége. nam quae fácta sunt
Omítto: modo quid désignauit? **MI.** Quíd nam id est?
DE. Forís ecfregit átque in aedis ínruit
Aliénas: ipsum dóminum atque omnem fámiliam
Mulcáuit usque ad mórtem: eripuit múlierem
Quam amábat. clamant ómnes indignissume
Factúm: mihi quot áduenienti, Mício,
Dixére! in orest ómni populo. 'nón uidet
Fratrém, si conferéndumst exemplúm, dare
Operám rei rurí*que* parcum, sóbrium?

Nullum húius simile factum'. dico, Mício,
Haec tíbi, quom dico: córrumpi illum tú sinis.
MI. Homine ínperito númquam quicquam iniústius,
Qui nísi quod ipse fécit nil rectúm putat.
DE. Quorsum ístuc? **MI.** Haec quia iúdicas male, Démea.
Flagítium, crede, nón est adulescéntulum
Scortári neque potáre: non est: néque foris
Ecfríngere. haec si néque ego neque tu fécimus,
Egéstas facere nón siit nos. tú tibi
Id laúdi ducis, quód *non* fecisti ínopia?
Iniúriumst: nam si ésset unde fíeret,
Facerémus. et, homo si ésses, illum tú tuom
Sinerés nunc facere, dúm per aetatém licet,
Potiús quam, te eiecísset expectátum ubi,
Aliéniore aetáte post facerét tamen.
DE. Pro Iúppiter, me rédigis homo ad insániam.
Flagítium non est fácere haec adulescéntulum?
MI. Auscúlta, de re né me tundas saépius.
Mihí dedisti túom adoptandum fílium:
Is méus est factus: síquid peccat, Démea,
Mihi péccat: illi máxumam partem égo feram.
Obsónat, potat, ólet unguenta: dé meo;
Amat: árgentum a me dábitur, dum erit cómmodum
(Fortásse, ubi non érit, excludetúr foras);
Forís ecfregit: réstituentur; díscidit
Vestém: resarciétur. est (dis grátia)
Haec únde fiant, ét adhuc non molésta sunt.
Postrémo desine: árbitrum quemuís cedo:
Osténdam plura té peccare. **DE.** Ei míhi, pater
Ab íllis esse dísce, qui ueré sciunt.
MI. Pater ílli tu natúra, consiliís ego.
DE. Tun cónsilis quicquam? **MI.** Á, si pergis, ábiero.
DE. Sicíne? **MI.** An eadem dé re totiens aúdiam?
DE. Curaé mihist. **MI.** Est ét mihi curae, Démea:
Curémus aequam utérque partem, tu álterum,
Item álterum ego. namst própemodum repóscere
Illúm curare quém dedisti. **DE.** Mício!
MI. Mihi síc uidetur. **DE.** Quíd? si placet istúc tibi,
Profúndat perdat péreat, nihil ad me áttinet.
Vllúm si uerbum pósthac . . . **MI.** Rursum, Démea,

Iráscere? **DE.** An non crédis? repeton quém dedi?
Aegrést, si (nón aliénus) obsto: désino.
Vnúm uis curem, cúro: et est (dis grátia)
Ita út uolo: tuos iste ípse secum séntiet
Postérius: nolo gráuius quicquam dícere. —
MI. Quae dícit neque nihíl sunt nec tamen ómnia:
Non níl molesta súnt mihi: sed osténdere
Aegré pati me nólui: nam itást homo:
Quom pláco, uix humáne patitur: sédulo
Aduórsor et detérreo: si*n* aúgeam
Aut étiam adiut*er* éius iracúndia*m*,
Insániam profécto cum illo. iniúriam
Etsí non in re núllam facit hac Aéschinus.
Quam nón amauit méretricem aut quoi nón dedit?
Postrémo (credo iám taedebat ómnium)
Vxórem uelle núper dixit dúcere.
Sperábam iam deféruisse adulescéntiam:
Gaudébam. dè integro écce: scire quídquid est
A*c*, apúd forum sist, cónuenire hominém uolo.

ACTVS II.

SANNIO. AESCHINVS. (PSALTRIA.) PARMENO.

SA. Óbsecro, populáres ferte mísero auxilium atque ínnocenti:
Ínopi subueníte. **AE.** Consiste ílico nunc, ótiose.
Quíd respectas? níl periclist: híc, ego dum aderó, numquam te.
SA. Ómnibus ego inuítis istam.
AE. Nón, quamquam sceléstus, iterum ut hódie uapulét committet.
SA. Aúdi, ne fuísse dicas ígnarum meórum morum:
Léno sum. **AE.** Scio. **SA.** Át ut usquam fuit óptuma quisquám fide.
Nólle tu quod té posterius púrges hanc iniúriam
Fáctam, huius non fáciam. crede, iús ego meum pérsequar:
Néque tu solues úmquam uerbis, ré quod mihi maleféceris.
Nóui uostra 'nóllem factum: te hác indignum iniúria
Dábitur iusiurándum ', indignis ácceptus quom sím modis.
AE. Abí prae, strenué foris aperi. **SA.** Hóc nil facies céterum?
AE. Intró nunc i iam. **SA.** Nón enim sinam. **AE.** Áccede illuc,
Pármeno:

Istóc abisti nímium: propter húnc adsiste: em, síc uolo.
Caue núnciam demóueas oculis á meis quoquám tuos,
Ne móra, si innuerim, sít, quin pugnus cóntinuo in mala haéreat.
SA. Ipsúm uolo istuc éxperiri. AE. Em, sérua. PA. Mitte múlierem.
SA. O fácinus AE. Nisi caués, geminabit. SA. índignum: ei miseró mihi.
AE. Non ínnueram: istam in pártem uerum pótius peccató tamen.
I núnc. SA. Quid hoc reíst? regnumne póssides hic, Aéschine?
AE. Si póssiderem, ornátus esses éx tuis uirtútibus.
SA. Quid tíbi rei mecum? AE. Níl. SA. Quid? nostin quí sim? AE. Non desídero.
SA. Tetigíne quicquam? AE. Sí tetigisses, férres infortúnium.
SA. Tibí magis qui lícet habere, pró qua ego argentúm dedi?
Respónde. AE. Ante aedis nón fecisse mélius hic conuícium:
Nam pérgis esse sí molestus, íntro abripiere átque ibi
Vsque ád necem operiére loris. SA. Lóris liber? AE. Síc erit.
SA. O hóminem inpurum: líbertatem aequam áiunt hicin ómnibus?
AE. Si sátis es, leno, débacchatus, aúdi si uis núnciam.
SA. Egóne sum debacchátus an tu? AE. Mítte ista atque: ad rém redi.
SA. Quam rém? quo redeam? AE. Vís ad te quod áttinet me dícere?
SA. Aequí modo aliquid. AE. Váh, me leno nón iniqua uólt loqui.
SA. Lenó pernicies súm communis, fáteor, adulescéntium,
Periúrus, pestis: tíbi tamen nulla á mest orta iniúria.
AE. Nam réstat etiam. SA. Quó coepisti, rédi quaeso illuc, Aéschine.
AE. Emísti (male quae tíbi res uortat) íllam uigintí minis:
Argénti tantum dábitur. SA. Quid? me cóges illam uéndere,
Si nólo? AE. Minume. SA. Námque metui. AE. Néque uendundam cénseo,
Quae líberast: nam líberali ego ádsero causá manu.
Nunc útrum uis argéntum accipere an caúsam meditarí tuam,
Delíbera, dum rédeo, leno. — SA. Pró supreme Iúppiter,
Mínume miror qui ínsanire occípiunt ex iniúria.
Éripuit me, uérberauit: cólaphos infregít mihi
Hómini misero plús quingentos: ínuito abduxít meam:
Póstulat haec ob málefacta emptam síbi tantidem trádier.
Vérum postulát suom ius: fíat: promeruít bene.
Áge iam cupio, módo si reddat árgentum. sed háriolor:
Vbi me dixeró dare tanti, fáciet testis ílico,

Véndidisse mé, de argento sómnium: 'mox: crás redi.'
Íd quoque possum, módo si reddat, férre, quamquam iniúriumst:
Quándo quaestum coéperis eum (rés quod est id cógito),
Ádulescentumst áccipiunda mússitanda iniúria.
Séd nemo dabít: rationes hás mecum frustrá puto.

SYRVS. SANNIO.

SY. Tace, égomet conueniam ípsum: cupide fáxo accipiat átque iam
Actúm bene secum dícat. istuc quíd quod, Sannio, aúdio
Nescío quid concertásse ero te? SA. Númquam uidi iníquius
Certátionem cómparatam, quám quae nos intér fuit:
Deféssi ambo usque, uérberando uápulando, ille égo, sumus.
SY. Culpá tua. SA. Quid? SY. Ádulescenti mórem gestum opórtuit.
SA. Qui pótui melius, hódie usque os qui praébui? SY. Scis quíd
loquar?
Pecúniam in locó neglegere máxumum interdúmst lucrum:
Metuísti, nunc si mórigeratus ádulescenti paúlulum
Tuó de iure cóncessisses, hóminum homo stultíssime,
Ne nón tibi faeneráret istuc. SA. Égo spem pretio nón emo.
SY. Numquám rem facies: ábi, inescare néscis homines, Sánnio.
SA. Credo ístuc melius ésse: uerum númquam adeo astutús fui,
Quin quídquid possem mállem auferre pótius in praeséntia.
SY. Tuóm noui animum: quási iam tibi sint úsquam uigintí minae,
Huic dum óbsequare. té praeterea próficisci aiunt SA. Hém.
SY. Cyprum,
Coémisse hinc quae uéheres multa, náuem conductám: scio,
Tibi péndet animus. támen ubi illinc rédieris spero hóc ages.
SA. Nusquám pedem. perii: ínceperunt hércle hac illi spé.
SY. Timet:
Iniéci scrupulum hómini. SA. O scelera: illúd uide,
Vt in ípso articulo opprĕssit. emptae múlieres
Complúres et item hinc ália quae portó Cyprum.
Nisi ád mercatum úenio, damnum máxumumst.
Nunc hóc si mitto, túm, rediero illínc ubi,
Agám, nihil est, refríxit: 'nunc demúm uenis?
Quor pássu's? ubi eras?' út sit satius pérdere
Quam núnc manere tám diu, tum pérsequi.
SY. Iamne énumerasti rédituram ad te quód putes?
SA. Hocine íllo dignumst? hócine incipere Aéschinum?

Vt éripere per oppréssionem póstulet?
SY. Labáscit. unum hoc hábeo: uide si sát placet:
Potiús quam uenias ín periclum, Sánnio,
Seruésne an perdas tótum, diuiduóm face.
Minás decem conrádet alicunde. SA. Eí mihi,
Etiám de sorte in dúbium nunc uenió miser?
Pudét nihil? omnis déntis labefecít mihi:
Praetérea colaphis túber est totúm caput:
Etiám defrudet ínsuper? nusquam. SY. Vt lubet:
Numquíd quin abeam uís? SA. Immo hoc quaesó, Syre,
Vt ut haéc sunt acta, pótius quam litís sequar,
Meúm mihi reddat, sáltem quanti emptást, Syre.
Scio té non antehac úsum amicitiá mea:
Memorém me dices ésse, gratum. SY. Sédulo
Faciám. sed Ctesiphónem uideo: laétus est
De amíca. SA. Quid quod óro? SY. Paulispér mane.

CTESIPHO. SYRVS. (SANNIO.)

CT. Abs quíuis homine, quómst opus, benefícium accipere gaúdeas:
Verúm iuuat enim uéro demum, sí quemst aequom béne facit.
O fráter frater, quíd ego laudem núnc? satis certó scio:
Numquám magnifice quícquam dicam, uírtus quin superét tua.
Itaque hánc habere rém praecipuam praéter alios árbitror,
Magis hómini neminí primarum frátrem principem, ártium.
SY. O Ctésipho. CT. O Syre, Aéschinus ubist? SY. Éllum, te expectát domi.
CT. Hem. SY. Quíd? CT. Quid? opera illíus, Syre, nunc uíuo: festiuóm caput,
Qui póst putauit ómnia esse síbi meo prae cómmodo,
Labórem, famam, máledicta, meum in sé peccatum tránstulit
Suprá nihil. forís quid crepuit? SY. Máne, mane: ipse exít foras.

AESCHINVS. SANNIO. CTESIPHO. SYRVS.

AE. Sacrílegus ille ubíst? SA. Me quaerit. númquid ecfert? óccidi:
Nil uídeo. AE. Ehem opportúne: te ipsum quaéro: quid fit, Ctésipho?
In túto res est ómnis: mitte uéro tristitiém tuam.
CT. Ego uéro mitto, quí quidem habeam té fratrem: o mi Aéschine,
O mí germane: in ós ah uereor ámplius laudáre te,

Ne mágis id adsentándi quam quod hábeam gratum exístumes.
AE. Inépte, quasi nunc ínter nos non nórimus nos, Ctésipho.
Dolét nos sero scísse et paene *rém* redisse in eúm locum.
Vt ómnes tibi nihíl, si cuperent, póssent auxiliárier.
CT. Pudébat. AE. Ah, stultítiast istaec, nón pudor: tam páruolam
Paene é patria ob rem! túrpe dictu. próhibeant quaeso deós.
CT. Peccáui. AE. Quid ait tándem nobis Sánnio? SY. Iam mítis est.
AE. Ego ád forum ibo, ut húnc absoluam: tu íntro ad illam, Ctésipho.
SA. Instá, Syre. SY. Eamus: námque hic properat ín Cyprum. SA. Ne tám quidem:
Maneo étiam quamuis ótiosus híc. SY. Reddetur: né time.
SA. At ut ómne reddat. SY. Ómne reddet: táce modo ac sequere hác. SA. Sequor.
CT. Heus heús, Syre. SY. Quid est? CT. Óbsecro hercle, hóminem istum impuríssumum
Quam prímum absoluitóte, ne, si mágis inritatús siet,
Hoc ád patrem permánet atque túm perpetuo périerim.
SY. Non fíet, bono animo és: tu cum illa te íntus oblecta ínterim
Et léctulos iube stérni nobis ét parari cétera.
Ego iám transacta ré conuortam mé domum cum obsónio.
CT. Ita quaéso: quando béne successit, hilare sumamús diem.

ACTVS III.

SOSTRATA. CANTHARA.

SO. Óbsecro, mea nútrix, quid nunc fíet? CA. Quid fiát rogas?
Recte édepol spero: occípiunt, mea tu, módo dolores prímulum.
Iam núnc times, quasi númquam adfueris, númquam tute pépereris?
SO. Míseram me, Geta nón adest: hic súm sola: habeo néminem,
Néc quem mittam ad óbstetricem, néc qui accersat Aéschinum.
CA. Pol áderit is quidém: nam numquam hic únum intermittít diem,
Quin uéniat. SO. Solus ést mearum míseriarum rémedium.
CA. Haud fíeri melius é re nata pótuit quam factúmst, era,
Quandóst oblatum uítium, quod ad illum áttinet potíssumum,
Animó talem atque *ingénio* tali, nátum tanta fámilia.
SO. Íta pol est ut dícis: saluos nóbis sit quaesó deos.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

GE. Nunc íllud est, quo*m*, cónferant si cónsilia omnes ómnia
Atque huíc malo salútem quaerant, aúxili nihil ádferant,
Quod eraéque filiaéque erilist míhique. uae miseró mihi:
Tot rés repente círcumuallant, únde emergi nón potest:
Vís egestas íniustitia sólitudo infámia.
Hócine saeclum! o scélera, o genera sácrilega, o hominem ínpium,
SO. Me míseram, quid namst quód sic uideo tímidum, properantém Getam?
GE. quem néque fides neque iús iurandum, qué*m* ne*c* misericórdia
Représsit neque refléxit neque quod pártus instabát prope,
Quoi míserae indigne obtúlerat per uim uítium. **SO.** Non intéllego
Satís quae loquitur. **CA.** Própius obsecro áccedamus, Sóstrata.
GE. Ah míserum me, uix ánimi compos árdeo iracúndia.
Nihil ést quod malim quám mihi illam fámiliam dari óbuiam,
Vt, aégritudo dúmst recens haec, íram omnem in eos éuomam.
Habeám satis mihí supplicii, dum íllos ulciscár modo.
Extínguerem seni ánimam primum, qui íllud produxít scelus:
Illúm tum, uah, Syrúm lacerarem quíbus inpulsorém modis.
Sublímem abreptum in térras *r*uerem, ut cérebro dispergát uiam.
Ériperem oculos ádulescenti, póst haec praecipitém darem.
Céteros ruerem ágerem raperem túnderem prostérnerem.
Séd malo eram cesso ínpertiri própere? **SO.** Reuocemús. Geta.
GE. Quísquis, sine. **SO.** Sum Sóstrata ego. **GE.** Vbist éa? tete ipsam quaérito,
Éxpeto: oppido ópportune te óbtulisti mi óbuiam,
Éra. **SO.** Quid est? quid trépidas? **GE.** Ei mi. **CA.** Quíd festinas, mí Geta?
Ánimam recipe. **GE.** Prórsus **SO.** Istuc 'prórsus' ergo? **GE.** pér*i*imus:
Áctumst. **SO.** Eloquere, óbsecro te, quíd sit. **GE.** Iam **SO.** Quid 'iám', Geta?
GE. Aéschinus **SO.** Quid ís? **GE.** alienus ést ab nostra fámilia.
SO. Hém perii! qua ré? **GE.** Coepit amare áliam. **SO.** Vae miseraé mihi.
GE. Néque id occulte fért, ab lenone ípsus eripuít palam.
SO. Sátine certum? **GE.** Cértum: his oculis égomet uidi, Sóstrata.
SO. Míseram me! quid crédas? aut quoi crédas? nostrumne Aéschinum?
Nóstram uitam, spés opesque nóstrae omnes in quó sitae?
Quí sine hac iurábat unum númquam uicturúm diem?

Quí positurum púerum in gremió pátris dicebát sui?
Óbsecraturum, út liceret hánc uxorem dúcere?
GE. Era, lácrumas mitte, pótius quod ad hanc ést opus rem próspice:
Patiámurne an narrémus quoipiam? CA. Aú au, mi homo, sánun es?
An hóc tibi uidétur usquam próferendum? GE. Nón placet.
Aliéno iam primum ánimo a nobis íllum res ipsa índicat.
Nunc hóc palam si próferemus, íbit infitiás, scio:
Tua fáma et gnatae uíta in dubium uéniet. tum si máxume
Fateátur, quom amet áliam, non est útile hanc illí dari.
Quaprópter quoquo pácto tacitost ópus. SO. Ah minume géntium:
Non fáciam. GE. Quid ages? SO. Próferam. CA. Hem, uide quám rem mea agas Sóstrata.
SO. Peióre res locó non potis est ésse in quo quam núnc sitast.
Primum índotatast: périit tum quae dós ei secúnda erat;
Hoc ést relicuom: núptum dari*er* non potest pro uírgine.
Si infítias ibit, mécum testis ánulus quem míserat.
Postrémo quando míhi sum conscia, hánc a me culpám procul,
Neque prétium intercessísse neque me aut ílla indignam rém, Geta,
Expériar. GE. Quid? cedo mélius dicas íst*uc*. SO. Tu quantúm potes*t*
Abi átque enarrato Hégioni rém cognato omnem órdine:
Nam súmmus fuit is Símulo nostro ét nos coluit máxume
GE. Nam réspicit nos hércle nemo. SO. Própere tu, mea Cánthara,
Curre, óbstetricem accérse, ut opus quom nóbis ne siet ín mora.

DEMEA. SYRVS.

DE. Dispérii: audiui Ctésiphonem fílium
Vná fuisse in ráptione cum Aéschino.
Id mísero restat míhi mali, illum sí potest,
Aliquoí qui reist, ad néquitiem etiam dúcere.
Vbi íllum quaeram? crédo abductum in gáneum:
Inpúrus ille, scío, persuasit. séd Syrum
Incédere eccum uídeo: scibo quíd siet.
Atqui íllo de grege híc est: numquam cárnufex
Dicét, me eum si quaéritare sénserit.
Id nón ostendam uélle me. SY. Rem módo seni
Quo pácto haberet énarramus órdine.
Nil uidi quícquam laétius. DE. Pro Iúppiter,

Hominís stultitiam. SY. Cónlaudauit fílium:
Mihi, quí dedissem cónsilium, egit grátias.
DE. Disrúmpor. SY. Argentum ádnumerauit ílico:
Dedít praeterea in súmptum dimidiúm minae:
Id dístributum sánest ex senténtia.
DE. Huic mándes, siquid récte curatúm uelis.
SY. Hem Démea, haud aspéxeram te: quíd agitur?
DE. Quid agátur? uostram néqueo mirarí satis
Ratiónem. SY. Ineptast átque, ne dicám dolo,
Absúrda. piscis céteros purgá, Dromo:
Congrum ístum maxumum ín aqua sinito lúdere
Tantísper: ego ubi uénero, exossábitur:
Noló prius. DE. Haecíne flagitia! SY. Nón placent
Et clámo saepe. sálsamenta, Stéphanio,
Fac mácerentur púlchre. DE. Di uostrám fidem,
Vtrúm studiose id án sibi laudí putat
Fore, sí perdiderit gnátum? uae miseró mihi.
Diém iam, militátum quom profúgiet hinc
Egéns, uidere uídeor illum. SY. Démea.
Istúc est sapere, nón uidere módo pedes
Quod ánte, sed etiam ílla quae futúra sunt
Prospícere. DE. Quid? penés uos est iam psáltria?
SY. Ellam íntus. DE. Eho, domíst habiturus? SY. Crédo, ut est
Deméntia. DE. Haecin fíeri! SY. Inepta lénitas
Patris ét facilitas práua. DE. Fratris mé quidem
Pudét piget. SY. Vos ínter nimium, Démea,
(Non quía ades praesens díco) pernimium ínter est.
Tu níl nisi sapiéntia, ille sómnium
E*st* quantus quántus. síneres uero illúm tuom
Haec fácere? DE. Sinerem? *h*aut ólfecissem ménsibus
Priús sex totis, quám quid ille coéperet?
SY. Vigilántiam tuám mihi narras? DE. Síc siet
Modo út nunc, quaeso. SY. Súom ut*i* quisque uólt, itast.
DE. Quid? hodie uidistín*e*? SY. Tuomne fílium?
Hinc ábiit rus. iam dúdum ruri agere árbitror.
DE. Satin íbi scis esse? SY. Oh, qui égomet produxi. DE. Óptumest:
Metuí ne haereret híc. SY. Atque iratum ádmodum.
DE. Quid aútem? SY. Forum apud frátrem adortus iúrgio
De psáltria istac DE. Aín? SY. nihíl, uah, réticuit.
Vt númerabatur fórte argentum, intéruenit

Homo de ínprouiso: coépit clamare 'Aéschine,
Haecíne flagitia té facere! haec admíttere
Indígna genere!' DE. Oh, lácrumor prae gaúdio.
SY. 'Argéntum non tu pérdis, sed uitám tuam.'
DE. Saluós sit: est maiórum, spero, símilis. SY. Hui.
DE. Est praéceptorum plénus istorum ílle. SY. Phy:
Domi hábuit unde dísceret. DE. Fit sédulo:
Nil praétermitto: cónsuefacio: dénique
Inspícere tamquam spéculum uitas ómnium,
Ex áliis iubeo súmere exemplúm sibi.
'Hoc fácito.' SY. Recte sáne. DE. 'Hoc fugito.' SY. Cállide.
DE. 'Hoc laúdist.' SY. Istaec rés est. DE. 'Hoc uitió datur.'
SY. Probíssume. DE. Porro aútem . . SY. Non mihi ótium
Nunc aúscultandi. píscis ex senténtia
Sum náctus: est ne córrumpantur caútio:
Est tám flagitium nóbis id quam, Démea,
Non fácere uobis quaé modo dixti: quód queo
Conséruis ad eundem ístunc praecipió modum:
'Hoc sálsumst, hoc adústumst, hoc lautúmst parum:
Illúd recte: iterum síc memento:' sédulo
Moneó, quae possum pró mea sapiéntia:
Postrémo tamquam spéculum patinas, Démea,
Inspícere iubeo et úsus moneo quíd siet.
Inépta, nos quae fácimus esse, séntio:
Verúm quid facias? út homost, ita morém geras.
Numquíd uis? DE. Mentem uóbis meliorém dari.
SY. Tu rús hinc ibis? DE. Récta. SY. Nam quid híc agas,
Vbi síquid bene praecípias, nemo obtémperet?
DE. Ego ábeo uero, quándo is, ob quem uéneram,
Rus ábiit: illum cúro unum: ille ad me áttinet,
Quando íta uolt frater: de ístoc ipse uíderit.
Sed íllic quis, quem uídeo procul? estne Hégio
Tribúlis noster? ést, uah, si cernó satis
Amícus nobis índe a puero (dí boni,
Modi íllius ne mágna nobis cíuium
Penúriast), homo uírtute antiquá, fidè:
Haud cíto mali quid éx hoc ortum públice.
Quam gaúdeo! restáre generis réliquias
Vbi húius uideo, uáh, lubet et nunc uíuere.
Oppériar, ut hominém salutem, cónloquar.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

HE. Pro di inmortales, fácinus indignúm, Geta,
Quod nárras. **GE.** Factum síc est. **HE.** Illan fámilia
Tam fácinus ortum inlíberale! o Aéschine,
Istúc paternum haud pól dedisti. **DE.** Vídelicet
Audíuit hac de psáltria: nunc íd dolet
Aliéno: pendit, eí mihi, nihilí pater:
Vtinám prope hic adésset atque audíret haec.
HE. Nisí quaest aequom fácient, haud sic aúferent.
GE. In té spes omnis, Hégio, nobis sita:
Te sólum habemus, tú patronus, tú parens:
Tibi móriens ille nós commendauít senex:
Perímus, tu si déseris. **HE.** Caue díxeris:
Neque fáciam neque satís pie posse árbitror.
DE. Adíbo. gaudere Hégionem plúrumum
Iubeo. **HE.** Óh, salue: ipsum té quaerebam, Démea.
DE. Quid aútem? **HE.** Maior fílius tuos Aéschinus,
Fratrí dedisti quém adoptandúm, néque boni
Neque líberalis fúnctus officiúm uiri.
DE. Quid ístuc? **HE.** Nostrum amícum noras Símulum
Aequálem? **DE.** Quid ni? **HE.** Fíliam eius uírginem
Vitiáuit. **DE.** Hem. **HE.** Mane: nón dum quod grauíssumum
Est aúd*iu*isti, Démea. **DE.** An quid ámplius?
HE. Vero ámplius: namst hóc ferundum aliquó modo:
Persuásit nox amór uinum adulescéntia:
Humánumst. ubi scit fáctum, ad matrem uírginis
Venit ípsus ultro lácrumans orans óbsecrans,
Fidém dans, iurans illam ducturúm domum.
Ignótum, tacitum, créditum. uirgo éx eo
Compréssu grauida fácta; mensis décumus est:
Bonús uir nobis psáltriam, si dís placet,
Paráuit, quicum uíuat: illam déserit.
DE. Pro cérton istaec dícis? **HE.** Mater uírginis
In médiost, ipsa uírgo, res ipsa, híc Geta
Praetérea, ut captus séruolórum, nón malus
Neque inérs: sustentat sólus omnem fámiliam,
Alit íllas: hunc abdúce, uinci, quaére rem.
GE. Imnó nisist ita fáctum, torque, Démea;
Postrémo non negábit: coram ipsúm cedo.

DE. Pudét: nec quid agam néc scio quid respóndeam.
PA. Misérrumam me! dífferor dolóribus.
Iunó Lucina, fér opem: me serua óbsecro.
HE. Hem, núm quaeso illa párturit? **GE.** Certe, Hégio.
HE. Hem, uóstram, Démea, illaec inplorát fidem,
Quod iús uos cogit, íd uoluntate ínpetret.
Deós haec quaeso prímum fiant út decet.
Sin áliter animus uóster est, ego, Démea,
Hanc átque summa uí defendam mórtuom.
Erát cognatus: úna sumus a páruolis
Edúcti: semper fúimus militiaé domi
Vna: úna paupertátem pertulimús grauem.
Quaprópter nitar fáciam experiar, dénique
Animám relinquam pótius quam illas déseram.
Quid míhi respondes? **DE.** Frátrem conueniam, Hégio.
HE. Sed ánimo cogités tu facito, Démea,
Quam uós facillume ágitis, quam estis máxume
Poténtes dites fórtunati nóbiles,
Tam máxume uos aéquo animo aequa nóscere
Opórtet, si uos uóltis perhiberí probos.
DE. Redíto: fient quaé fieri aequomst ómnia.
HE. Decét te facere. Géta, me duc ad Sóstratam.
DE. Non índicente fíunt haec me: sít modo
Defúnctum: nimia mágnum profectó malum
Illaéc euadit ín aliquod licéntia.
Ibó, requiram frátrem, ut in eum haec éuomam.

HEGIO.

Bono ánimo sis et quód potes istam, Sóstrata,
Fac cónsolere. Mícionem, síst apud
Forúm, conueniam: rés ut gestast órdine
Narrábo: sist factúrus officiúm suom,
Faciát: sin aliter hác de re senténtia,
Respóndeat mihi, quám primum ut quid agám sciam.

ACTVS IV.

CTESIPHO. SYRVS.

CT. Ain hínc abisse pátrem rus? SY. Iam dúdum. CT. Dic sodés.
SY. Apud
Villámst: nunc maxume óperis aliquid fácere credo. CT. Vtinám
quidem:
Quod cúm salute fíat, ita se défetigarít uelim,
Vt tríduo perpétuo prorsum lécto nequeat súrgere.
SY. Ita fíat, istoc réctius pote síquid est. CT. Ita: nám diem
Vt coépi, misere cúpio perpetuom ín laetitia dégere.
Illúd nulla alia caúsa tam male ódi rus, nisi quía prope:
Si lóngius, prius óppressisset nóx, huc quam reuórt*eret*.
Illíc ubi me nón uidebit, iám recurret núnc, scio:
Vbi fúerim, me rogitábit: 'eho quem tóto non uidí die:'
Quid dícam? SY. Nilne in méntem? CT. Numquam quícquam.
SY. Tanto néquior.
Cliéns amicus hóspes nemo uóbis? CT. Sunt: quid póstea?
SY. Vt ópera data sit hísce. CT. Quaen*am*? nón potest fierí.
SY. Potest.
CT. Intérdius: sed sí pernocto, caúsae quid dicám, Syre?
SY. Amícis esset, uáh, quam uellem, nóctu mos operám dari.
Quin ótiosus és: ego illius sénsum pulchre cálleo.
Quom féruit maxumé, tam placidum réddo quasi ouem. CT. Quó modo?
SY. Lubénter audit té laudari: té facio apud illúm deum:
Virtútes narro. CT. Tún meas? SY. Homini ílico lacrumaé cadunt
Quasi púero gaudio. én tibi autem. CT. Quíd namst? SY. Lupus
in fábula.
CT. Adést pater? SY. Ipsus. CT. Sýre, quid agimus? SY. Fúge
modo intro, ego uídero.
CT. Siquíd rogabit, tú me, audistin? núsquam... SY. Potin ut désinas?

DEMEA. CTESIPHO. SYRVS.

DE. Ínfelix ego né sum: fratrem núsquam inuenio géntium:
Íllum dum quaeró, praeterea uídi mercennárium
Á uilla: esse (néc scio quid agam!) fílium rurí negat.
CT. Sýre. SY. Quid? CT. Mene quaérit? SY. Verum. CT. Périi.
SY. Quin tu bóno animo es.

DE. Ínfelicitátis hoc quid? néqueo sat decérnere:
Huíc nisi me crédo natum reí, ferundis míseriis.
Prímus sentió mala nostra: prímus rescisco ómnia:
Prímus porro obnúntio: aegre sólus, siquid fít, fero.
SY. Rídeo: primum aít se scire: sólus nescit ómnia.
DE. Núnc redeo: si fórte frater rédierit uisó. **CT.** Syre,
Óbsecro, uidé ne prorsus ínruat se. **SY.** Etiám taces?
Égo cauebo. **CT.** Númquam ego istúc hódie committám tibi:
Ín cellam iam mé concludam cum ílla: id est tutíssumum.
SY. Ámouebo támen ego hunc. **DE.** Sed éccum sceleratúm Syrum.
SY. Hércle non qui uólt durare quísquam, si sic fít, potest.
Scíre equidem uoló, mihi quot dómini sint: quae míseria!
DE. Ílle quid gannít? quid uolt? quid, bóne uir? est fratér domi?
SY. Quíd malum 'bone uír' mi narras? équidem perii. **DE.** Quíd
tibi?
SY. Rógitas? istam psáltriam, me míserum pugnis Ctésipho
Ýsque occidit. **DE.** Hém, quid narras? **SY.** Hém, discídit ut labrum.
Ínpulsore emptam hánc ait me. **DE.** Nón produxe rús eum
Áiebas tu? **SY.** Fáctum: uerúm uénit post insániens:
Níl pepercit. nón puduisse uérberare hominém senem!
Púerum quem tantíllum modo ego in mánibus gestauí meis.
DE. Laúdo: Ctesiphó, patrissas: áh, uirum te iúdico.
SY. Laúdas? continébit ille pósthac, si sapiét, manus.
DE. Fórtiter. **SY.** Perquám, quia miseram múlierem, me séruolum,
Quí referire nón audebam, uícit: hui, perfórtiter.
DE. Mélius non potuít. quod ego idem sénsit huic te reí caput.
Éstne frater íntus? **SY.** Non est. **DE.** Íllum ubi quaeram cógito.
SY. Ýbi sit scio, uerum hódie numquam mónstrabo. **DE.** Hem,
quid? **SY.** Íta quidem.
DE. Díminuetur tíbi iam cerebrum. **SY.** Nómen hominis néscio
Íllius, locúm sed ubi sit nóui. **DE.** Dic ergó locum.
SY. Pórticumne apud macéllum nósti? **DE.** Quid ni nóuerim?
SY. Praéterito récta platea súrsum: est ubi eo uéneris,
Deórsum uorsum clíuos: hac te praécipitato: póstea
Ést ad hanc manúm sacellum: própter angipórtum ibi.
DE. Quód nam? **SY.** Mágna ubí caprificus étiam. **DE.** Noui.
SY. Hac pérgito.
DE. Íd quidem angipórtum non est péruium. **SY.** Verum hércle: uah
Cénsen hominem me ésse? erraui: in pórticum rursúm redi:
Sáne multo própius ibis hác et minor errátio.

Aédis huius scín Cratini? **DE.** Scío. **SY.** Vbi eas praetérieris,
Ád sinistram récta platea; ubi ád Dianae uéneris,
Íto ad dextram: príus ad portam quám uenias, apúd lacum
Ípsum pistrillást, aduorsum fábrica: ibi **DE.** Quid íbi facit?
SY. léctulos in sóle ilignis pédibus faciundós dedit.
DE. Ýbi potetis uós: bene sane. séd cesso ad eum pérgere? —
SY. Í sane: exercébo, ut dignus, hódie te silicérnium.
Aéschinus odióse cessat: prándium corrúmpitur:
Ctésiphost in amóre totus. égo iam prospiciám mihi:
Nám iam adibo atque únum quicquid, quód quidem bellíssumum,
Cárpam: paulatím producam sórbilans cyathós diem.

MICIO. HEGIO.

MI. Nihíl reperio, laúder ob quam rém tanto opere ego, Hégio.
Officium facio: quód peccatum a nóbis ortum córrigo.
Hominúm nisi me crédidisti número in illo, quí putant,
Iniúriam sibi fíeri, si quam fécere ipsi expóstules,
Et últro accusant: grátias, quia nón a me factúmst, agis?
HE. Ah, mínume: te numquam áliter atque es ín animum induxí meum.
Sed eás ad matrem quaéso mecum, Mício, una uírginis,
Atque ístaec eadem míhi quae dixti túte dicas múlieri:
Suspícionem frátrem propter: éius illam psáltriam.
MI. Aequóm si censes aút si factost ópus, eamus. **HE.** Béne facis:
Et ílli ré*l*leuabis animum, quaé dolore ac míseria
Tabéscit, et tuo*m* éris offici*um* fúnctus. aliter sí putas,
Mihí quae dixti nárrabo egomet. **MI.** Ímmo ego ibo. **HE.** Béne facis:
Omnés, quibus minús secundae rés, sunt nescio quó modo
Suspíciosi: ad cóntumeliam ómnia accipiúnt magis:
Proptér suam inpoténtiam se sémper credunt claúdier.
Quaprópter ipsum té purgare córam placabílius est.
MI. Et récte et uerum dícis. **HE.** Ergo mé sequere intro. **MI.** Máxume.

AESCHINVS.

Discrúcior animi de ínprouiso míhi mali hocine óbici
Tántum, neque quid út me faciam néc quid agam certúm siet!
Metú debilia mémbra sunt, timóre obstipuit ánimus,
Consístere nihil quít consilii péctore.

Ex hác expediam, uáh, me turba quó modo?
Tánta (neque ea inmérito) de me núnc suspicio íncidit:
Hanc psáltriam mihí me credit Sóstrata
Emísse: fecit ánus id indiciúm mihi.
Vbí (nam forte ad óbstetricem míssa erat) uidi, ílico
Accédo: rogito, quíd Pamphila agat, iámne partus ádsiet,
Eo óbstetricem accérsat. illa exclámat 'abi, abi: iám satis,
Aeschíne, diu dedísti uerba: sát tua frustratást fides.'
'Quid ístuc obsecro'? ínquam: 'ualeas, hábeas illam quaé placet.'
Sensi ílico illas súspicari: séd reprendi mé tamen,
Ne, gárrulae de frátre siquid dícerem, fierét palam.
Núnc quid faciam? dícam fratris ésse? quod minumést opus
Ýsquam ecferri: mítto: fieri pótis est ut nequa éxeat.
Ípsum metuo ut crédant: ueri tót concurrunt símilia:
Égomet rapui: ipse árgentum egomet sólui: ducta ad mé domum.
Haéc mea adeo cúlpa fateor: índicasse nón patri,
Hánc ut ut erat gésta rem me! exórassem ut eam dúcerem.
Ýsque cessatúmst adhuc: porro, Aéschine, expergíscere:
Hóc est primum: ibo, út me purgem, ad íllas. accedam ád foris.
Périi: semper, úbi pultare has óccipio, horrescó miser.
Heús heus: Aeschinús sum ego, actutum áperite aliquis óstium.
Pródit nescio quís: concedam huc.

MICIO. AESCHINVS.

MI. Íta uti dixti, Sóstrata,
Fácito: conueniam Aéschinum, haec ut ácta quo sciát modo.
Séd quis ostiúm pultauit? **AE.** Ést pater, perii. **MI.** Aéschine,
AE. Quid huíc negoti? **MI.** túne pepulistí foris?
Tacét. quor non ludo áliquantisper? mélius est,
Quandóquidem numquam uóluit ipse dícere.
Nihíl respondes? **AE.** Nón quidem istas, quód sciam.
MI. Ita: nám mirabar, híc negoti quíd tibi.
Erúbuit: salua rés est. **AE.** Dic sodés, pater,
Tibí quid istic ést rei? **MI.** Nil míhi quidem.
Amícus modo me quídam abduxit á foro
Huc áduocatum síbi. **AE.** Quid? **MI.** Ego dicám tibi:
Habitánt hic quaedam múlieres paupérculae,
Vt opínor (non no*uí*sse te certó scio:
Neque ením diu migrárunt huc), **AE.** Quid póstea?

MI. uirgó cum matre. **AE.** Pérge. **MI.** Virgo orbást patre:
Amícus meus est ílli genere próxumus:
Huic léges cogunt núbere hanc. **AE.** Perií. **MI.** Quid est?
AE. Nil: récte: perge. **MI.** Vénit ut secúm uehat:
Habitát Mileti. **AE.** Vírginem ut secúm uehat?
MI. Sic ést. **AE.** Miletum obsécro? **MI.** Ita. **AE.** Est animó male.
Ipsaé quid aiunt? **MI.** Íllas censes? níhil enim.
Comménta mater ést, esse ex alió uiro
Nescío quo puerum nátum: neque eum nóminat:
Illúm priorem, nón oportere huíc dari.
AE. Eho, nónne iusta tíbi uidetur pós*cere*?
MI. Non. **AE.** Óbsecro non? íllam an abducét, pater?
MI. Quid ni íllam abducat? **AE.** Fáctum uobis dúriter
Inmísericorditérque, dicendúm magis
Apérte si, pater, ést, inliberáliter.
MI. Ob quám rem? **AE.** Me rogás? quid tandem créditis
Fore ánimi misero, quícum consueuít prius,
Infélix haud scio án qui misere núnc amat,
Praesén*tem* quom uidébit praesenti éripi,
Oculís abduci? fácinus indignúm, pater.
MI. Qua rátione istuc? quís despondit? quís dedit?
Quoi quándo nupsit? aúctor his rebús quis est?
Quor dúxit alienam? **AE.** Án sedere opórtuit
Domí tam grandem uírginem, cognátus huc
Expéctantem illinc dúm ueniret? haéc, pater,
Aequóm fuit te dícere et deféndere.
MI. Ridículum: aduorsumne íllum causam dícerem,
Quoi úeneram aduocátus? sed nostra, Aéschine,
Quid ísta, nobis íllis? abeamús. quid est?
Lácrumas? **AE.** Pater, óbsecro, ausculta. **MI.** Aéschine, audiui ómnia
Ét scio: nam amó te: quo mihi cúrae quae agis súnt magis.
AE. Íta uelim me prómerentem dúm, pater, uiuás ames,
Vt delictum hoc ádmisisse mé, mihi uehementér dolet
Ét tui pudét me. **MI.** Credo: nám noui ingeniúm tuom
Líberale: séd uereor ne nímium sis indíligens.
Ín qua tandem cíuitate uíuere arbitráre te?
Vírginem uitiásti, quam te nón ius fuerat tángere.
Íd peccatum prímum magnum iám*st,* at humanúm tamen:
Saépe alii boní fecere item. at íd postquam euenít, cedo
Númquid circumspéxti? numquid túte prospextí tibi,

Quíd fieret? qua fíeret? si te púduit ipsum próloqui,
Quá resciscerem? haéc dum dubitas, ménses abierúnt decem.
Pródidisti míseram gnatum té, quod fuit in té quidem.
Quíd? credebas dórmienti cónfecturos haéc deos?
Ét domum tuá sine opera déductum iri in cúbiculum?
Nólim ceterárum eodem rérum socordém modo.
Bóno animo es, ducés uxorem. **AE.** Hem. **MI.** Bóno animo es, inquám. **AE.** Pater,
Óbsecro, num tú me ludis? **MI.** Égo te? qua re? **AE.** Néscio:
Ésse quia tam mísere cupio uérum, eo uereór magis.
MI. Cómprecare *age ágе* deos: abi ut úxorem accersás domum.
AE. V́xorem iam? **MI.** Iám. **AE.** Iam? **MI.** Quantum ‘iám’ potes. **AE.** Di mé, pater,
Ómnes oderínt, oculos ni mágis amo te quám meos.
MI. Quíd? quam illam? **AE.** Aeque. **MI.** Pérbenigne. **AE.** Quíd? ubi illest Milésius?
MI. Ábiit, periit, náuem ascendit; séd quor cessas? **AE.** Á*h*, pater:
Tú potius deós precare: nám tibi certó scio,
Quó *me* melior és uir multo, obtémperaturós magis.
MI. Éo, quae sunt opus út parentur: fác ut dixi, sí sapis. —
AE. Quid hóc negoti? pátremst hoc aut fíliumst hoc ésse?
Magís, si farter aút sodalis ésset, morem géreret?
Hic nón amandus? hícine non est ín sinu gestándus?
Adeó sua magnam ínicit mi cómmoditate cúram,
Inprúdens ne quod nólit faciam: né sciens cauébo.
Sed íre cesso, né morae sim núptiis egomét meis? —

DEMEA. MICIO.

DE. Sum féssus ambulándo: Syre, te cúm tua
Monstrátione mágnus perdat Iúppiter!
Vsque óppidum perréptaui: ad portám lacum,
Quo nón? neque fábrica ulla erat nec frátrem homo
Vidísse aiebat quísquam. nunc ueró domi
Certum óbsidere est úsque, donec rédierit.
MI. Ibo, íllis dicam núllam esse in nobís moram.
DE. Eccum ípsum: te iam dúdum quaero, Mício.
MI. Quid nám? **DE.** Boni alia féro flagitia ingéntia
Illíus adulescéntis. **MI.** Ecce autém. **DE.** Noua,

Capitália. **MI**. Ohe iam. **DE**. Néscis qui uir sít. **MI**. Scio.
DE. O stúlte, tu de psáltria agere sómnias:
In uírginem peccátumst hoc ciuém. **MI**. Scio.
DE. Oho, scís et patere? **MI**. Quíd ni patiar? **DE**. Díc mihi,
Non clámas? non insánis? **MI**. Non: malím quidem.
DE. Natús puer. **MI**. Bene uórtant di. **DE**. Nil uírgo habet.
MI. Audíui. **DE**. Ducenda índotata. **MI**. Scílicet.
DE. Quid núnc futurumst? **MI**. Íd enim quod res ípsa fert:
Illínc huc transferétur uirgo. **DE**. O Iúppiter,
Istóc oportet pácto? **MI**. Quid faciam ámplius?
DE. Quid fácias? istuc sí non ipsa ré dolet,
Simuláre certe est hóminis. **MI**. Quin iam uírginem
Despóndi: res compósita: fiunt núptiae:
Dempsí metum omnem: súnt haec hominis. **DE**. Céterum
Placét tibi factum, Mício? **MI**. Non, sí queam
Mutáre: nunc quom nón queo, animo aequó fero.
Ita uítast hominum, quási quom ludas tésseris,
Si máxume quod ópus est iactu nón cadit,
Vt íd quod forte cécidit arte córrigas.
DE. Tuá, corrector, árte uigintí minae
Pro psáltria periére: quae quantúm potest
Est ábiciunda, sí non pretio, grátiis.
MI. Neque ést neque illam sáne studeo uéndere.
DE. Quid ígitur facies? **MI**. Dómi erit. **DE**. Pro diuóm fidem,
Meretríx et mater fámilias uná domo?
MI. Quor nón? **DE**. Te credis ésse sanum? **MI**. Equidem árbitror.
DE. Inéptiam, ita me dii ament, ut uideó tuam:
Factúrum credo, ut hábeas quicum cántites.
MI. Quor nón? **DE**. Noua nupta díscet eadem. **MI**. Scílicet.
DE. Intér eas restim dúctans saltabís. **MI**. Probe.
DE. Probe? **MI**. Ét nobiscum tú si sit opus. **DE**. Eí mihi.
Non haéc pudent? **MI**. Iam uéro mitte, Démea,
Tuam ístanc iracúndiam atque ita utí decet
Hilarúm lubentem fác te gnati núptiis.
Ego hós conueniam: póst huc redeo. — **DE**. O Iúppiter,
Hancíne uitam! hosce móres! hanc deméntiam!
Vxór sine dote uéniet: intus psáltria
Est súmptuosa, aduléscens luxu pérditus,
Senéx delirans. ípsa si cupiát Salus,
Seruáre prorsus nón potest hanc fámiliam.

SYRVS. DEMEA.

SY. Edepól, Syrisce, té curasti mólliter
Lautéque munus ádministrastí tuom.
Sed ómnium postquam íntus rerum súm satur,
Prodeámbulare lúbuit. DE. Illud sís uide
Exémplum disciplínae. SY. Noster écce adest
Senéx. quid fit? quid és tu tristis? DE. Óh scelus.
SY. Ohe iám: tu uerba fúndis hic sapiéntia?
DE. Tu sí meus esses . . SY. Dís quidem esses, Démea,
Tuám rem constabilísses. DE. Esses ómnibus
Curárum exemplum. SY. Ob quám rem? quid fecí? DE. Rogas?
In ípsa turba péccatoque máxumo,
Quod uíx sedatum sátis est, potastí, scelus,
Quasi ré bene gesta. SY. Sáne nollem huc éxitum.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

DR. Heus Sýre, rogat te Ctésipho redeás. SY. Abi.
DE. Quid Ctésiphonem nárrat hic? SY. Nil. DE. Cárnufex,
Est Ctésipho intus? SY. Nón est. DE. Quor hic nóminat?
SY. Est álius quidam, párasitaster paúlulus:
Nostín? DE. Iam scibo. SY. Quíd agis? quo abis? DE. Mítte me.
SY. Noli ínquam. DE. Non manum ábstines, mastígia?
An tíbi dispergam cérebrum mauis híc? SY. Abit.
Commíssatorem sáne haud edepol cómmodum,
Praesértim Ctesiphóni. quid ego núnc agam?
Nisí, silescunt haé dum turbae, in ángulum
Abeam, hóc*ine* edormíscam uilli. síc agam.

MICIO. DEMEA.

MI. Paráta nobis súnt, ut dixi, Sóstrata,
Vbí uis. quis nam pépulit tam grauitér foris?
DE. Ei míhi, quid faciam? quíd agam? quid clamém querar?
O caélum, terra, mária Neptuni. MI. Ém tibi,
Rescíuit omnem rém: nunc clamat, ílicet:
Parátae lites: súccurrendumst. DE. Éccum adest
Commúnis corruptéla nostrum líberum.
MI. Reprime íracundiam átque ad te tandém redi.
DE. Repressi, redii, mítto maledicta ómnia:
Ipsám putemus rém. dictum inter nós fuit

(Ortúmst adeo ex te), né tu curarés meum
Neue égo tuom? respónde. **MI.** Factum nón nego.
DE. Quor núnc apud te pótat? quor recipís meum?
Quor émis amicam, Mício? numquí minus
Mihí ius aequomst ídem quod mecúm tibi?
Quando égo tuom non cúro, ne curá meum.
MI. Non aéquom dicis. **DE.** Nón? **MI.** Vetus uerbúm quidem,
Commúnia esse amícos inter ómnia.
DE. Istaéc facete náta nunc orátio.
MI. Auscúlta paucis, nísi molestum, Démea.
Princípio, si te mórdet, sumptum fílii
Quem fáciunt, facito técum quaeso cógites:
Olím tua tu pró re tollebás duo,
Satís putabas bóna quod ambobús tua:
Vxórem tum me crédidisti scílicet
Ductúrum: eandem rátionem istanc óbtine:
Consérua quaere párce, fac quam plúrumum
Illís relinquas: ístam tibi tu glóriam.
Mea, praéter spem quae uénere, utantúr sine.
De súmma nil decédet: esse dé lucro
Accésserit quod hinc putáto. sí uoles
In ánimo uere cógitare haec, Démea,
Mihí tibi illis démpseris moléstiam.
DE. Mittó rem: consuetúdinem ipsorúm . . . **MI.** Mane:
Scio: ístuc ibam. múlta in homine, Démea,
Signa ínsunt, ex quis cóniectura fácile fit,
Duó quom faciunt ídem, saepe ut dícere
Possís: 'inpune lícet huic, illi nón licet',
Non quó dissimilis rés sit, sed quod quí facit.
Quae uídeo in illis, út ita confidám fore
Vt uólumus. uideo sápere intellegere ín loco,
Amáre se, ueréri: scires líberum
Ingénium atque animum. quó uis illos tú die
Reddúcas. at enim métuas, ab re né tamen
Omíssiores paúlo sint. o Démea,
Ad ómnia alia aetáte sapimus réctius:
Hoc únum uitium fért senectus hóminibus:
Atténtiores ómnes quamst ad rém sumus:
Quod íllos aetas ácuet. **DE.** Ne nimiúm modo
Bonaé tuae ratiónes istae, Mício,

Tuós nos animus aéquos subuortát. **MI.** Tace:
Non fíet. istaec mítte: da te míhi hodie:
Expórge frontem. **DE.** Témpus ita fert scílicet,
Faciúndumst: ibo céterum cum fílio
Cum prímo luci rús. **MI.** De nocte cénseo:
Hodié fac hilarum té modo. **DE.** Istam psáltriam
Hinc ábstraham mecum ílluc una. **MI.** Fílium
Eó pacto illic prórsus adplicáueris.
Modo fácito ut illam sérues. **DE.** Istuc uídero:
Ibí fauillae pléna fumi póllinis
Coquéndo faxo sít molendo: praéter haec
Vt ípso stipulam cólligat merídie;
Excóctam reddam, tám, quam carbo, atrám. **MI.** Placet:
Nunc míhi uidere sápere. 'atque equidem fílium
Vná tum cogam etiámsi nolit út cubet.'
DE. Derídes? fortunátus animo quí sies:
Ego séntio. **MI.** Pergísne? **DE.** Iam iam désino.
MI. Intró: rei quoist eí sumamus húnc diem.

ACTVS V.

DEMEA.

Númquam quisquam béne subducta rátione ad uitám fuit,
Quín res aetas úsus semper áliquid adportét noui,
Áliquid moneat: út quae scire crédas illa néscias
Ét repudies éxperiundo, príma quae putá*ue*ris.
Quód nunc euenít: nam vitam dúram, quam uixi úsque adhuc,
Própe iam curso spátio mitto. ob quám rem? re ipsa répperi
Fácilitate níhil esse homini mélius neque creméntia:
Éx me uerum quoíuis atque frátre facile nóscere.
Vítam semper égit ille in ótio conuíuiis,
Clémens placidus, núlli laedere ós, adridere ómnibus:
Síbi uixit: sibi súmptum fecit, ómnes bene dicúnt amant.
Ílle ego agrestis saéuos tristis párcus truculentús tenax
Dúxi uxorem: quám miseriam uídi! nati fílii,
Ália cura: dúm studeo illis, heía, ut*i* quam plúrumum
Fácerem, contriuí quaerundo uítam atque aetatém meam:

Hóc exacta pró labore núnc ab eis fructí fero,
Ódium: sine labóre patria pótitur alter cómmoda.
Íllum amant, me fúgitant: illi crédunt consilia ómnia,
Íllum diligúnt, apud illum súnt ambo, ego desértus sum:
Íllum ut uiuat óptant scilicet, éxpectant mortém meam.
Éductos meó labore máxumo fecit suos
Paúlo sumptu: míseriam omnem cápio, potitur gaúdia.
Áge age nunciam éxperiamur, écquid contra póssiem
Dícere blandé, benigne fácere, quando próuocat.
Égo quoque a meís amari, mágni pendi póstulo.
Dándo si fit, óbsequendo, nón posteriorés feram.
Dérit: minume ré mea fert, quí sum natu máxumus.

SYRVS. DEMEA.

SY. Ne, Démea, heus, rogat ábeas frater lóngius.
DE. Quis hómo? salue, ó Syre noster: quid fit? quíd agitur?
SY. Recte. DE. Óptumest. iam prímum nunc haec áddidi
Praetér naturam: 'nóster, quid fit? quíd agitur?'
Seruom haúd inliberálem praebes té: tibi
Lubéns bene faxim. SY. Grátiam habeo. DE. Ré Syre,
Hoc éxperier*is* ípsa uerum própediem.

GETA. DEMEA. (SYRVS.)

GE. Ad ós*tium* prouíso, quam mox uírginem
Accérsant. eccum Démeam. saluós sies
DE. O quí uocare? GE. Géta. DE. Geta, hominem máxumi
Hodié preti te iúdicaui animó meo:
Nam míhi profecto séruos spectatús satis,
Quoi dóminus curaest, út tibi sensí, Geta,
Et ób eam tibi rem, síquid usus uénerit,
Lubéns bene faxim. méditor esse adfábilis
Et béne procedit. GE. Quóm bonus, haec exístumas.
DE. Paulátim plebem prímulum fació meam.

AESCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

AE. Occídunt me, dum fácere sanctas núptias
Studént: in adparándo consumúnt diem.
DE. Quid ágitur, Aeschine? AE. Hém, pater, tun híc eras?
DE. Et ánimo uero túos et naturá pater:

Amat hísce te plus óculis. sed quor nón domum
Vxórem accersis, quaéso? AE. Cupio: míhi morae
Tibícina et hymenaéum qui cantént. DE. Eho,
Huic aúscultare uín seni tu? Míssa fac
Hymenaéum turbas lámpadas tibícinas
Atque hánc in horto iúbe maceriam dírui
Quantúm potest: hac tránsfer: unam fác domum:
Omném familiam, mátrem traducé. AE. Placet,
Patér lepidissume. DE. Eúge, iam lepidús uocor.
Fratri aédes fient péruiae, turbám domum
Addúcet, sumptu amíttet multa: quíd mea?
Ego lépidus ineo grátiam. iube núnciam
Dinúmeret ille Bábylo uigintí minas.
Syre, céssas ire fácere? SY. Quid ego? DE. Dírue,
Illás abi, tradúctum. GE. Di tibi, Démea,
Bene fáciant, quom te uídeo nostrae fámiliae
Tam uélle ex animo fáctum. DE. Dignos árbitror.
Quid aís tu? AE. Sic opínor. DE. Multo réctius
Illám quam duci pér uiam puérperam
Aegrótam. AE. Melius níhil enim uidí, pater.
DE. Soleó sic. eccum Mício egreditúr foras.

MICIO. DEMEA. AESCHINVS.

MI. Fratér iubet? ubi is est? tún iubes hoc, Démea?
DE. Et hác re iubeo uéro et aliis ómnibus
Quam máxume nos únam facere fámiliam,
Colere ádiuuare iúngere. AE. Ita quaesó, pater.
MI. Haud áliter censeo. DE. Ímmo nobis íta decet:
Vxóris primum máter est MI. Quid póstea?
DE. proba ét modesta, MI. Ita áiunt. DE. natu grándior:
MI. Scio. DE. párere iam diú per annos nón potest:
Nec quí respiciat quísquam: solast. MI. Híc agit...?
DE. Te dúcere aequomst ét operam ut fiát dare.
MI. Me dúcere autem? DE. Té. MI. Me? DE. Te inquam. MI. Inéptis.
DE. Si tu sís homo,
Hic fáciat. AE. Mi pater. MI. Huíc auscultas, ásine, tu quid?
DE. Níhil agis:
Fieri áliter non potést. MI. Deliras. AE. Té sine exorém, pater.
MI. Insánis: aufer. DE. Véniam quaeso fílio da. MI. Sánus es?
Nouós maritus ánno demum quínto sexagénsumo

Fiam átque anum decrépitam ducam? idne éstis auctorés mihi?
AE. Facé: promísi. **MI.** Prómisisti? dé te largitór, puer,
DE. Quid, máius siquid óret te? **MI.** Quasi máxumum non hóc siet.
DE. Da uéniam. **AE.** Ne grauáre. **DE.** Fac, promítte. **MI.** Non omíttitis?
AE. Non, nísi te exorem. **MI.** Vís est haec quidem. **DE.** Áge prolixe, Mício.
MI. Etsí mihi prauom inéptum absurdum, uíta *ab* alienúm mea
Vidétur: tanto sí uos opere uóltis, fiat. **AE.** Béne facis.
DE. Amó te merito. uérum . . . **MI.** Quid? **DE.** Ego dícam, quom fit quód uolo.
MI. Quid núnc? quid restat? **DE.** Hégio cognátus his est próxumus,
Adfínis nobis, paúper: illi nós decet bené facere
MI. Quid? **DE.** Ést agelli paúlulum sub úrbe quod locitás foras:
Huic démus qui fruátur. **MI.** Paululum íd? **DE.** Si multum sít, tamen
Faciúndum: pro patre huíc est, bonus est, nóster est, recté datur.
Postrémo *nunc* meum íllud uerbum fácio, quod tu, Mício,
Bené sapienter díxti dudum: 'uítium commune ómnium,
Nimium ín senecta atténti quod sumus ád rem'? maculam nós decet
Ecfúgere. **AE.** Dictum uére: oportet ípsa fieri ré, pater.
MI. Quid ístic? dabitur quándoquidem hic uolt. **AE.** Gaúdeo.
DE. Germánus pariter ánimo nunc et córpore.
Suó sibi gladio iúgulo.

SYRVS. DEMEA. MICIO. AESCHINVS.

SY. Factum, quód iussisti, Démea.
DE. Frúgi homo's. meá quidem ergo pól hodie senténtia
Iúdico Syrúm fieri aequom líberum. **MI.** Istunc líberum?
Ób quod factum? **DE.** Múlta. **SY.** Noster Démea edepol uír bonus:
Égo curaui uóbis istos úsque a pueris sédulo;
Dócui monui, béne praecepi sémper quae potui ómnia.
DE. Rés apparet haéc quidem: porro óbsonare cúm fide,
Scórtum adducere, ádparare dé die conuíuium:
Nón mediocris ófficia haec sunt hóminis. **SY.** O lepidúm caput.
DE. Ín emunda postrémo fuit adiútor hodie psáltria:
Híc curauit: pródesse aequomst: álii meliorés erunt:
Dénique hic uolt fíeri. **MI.** Vin tu fíeri: **AE.** Cupio. **MI.** Sí quidem
Tú uis, eho, Syre, húc accede: líber esto. **SY.** Béne facis:

Grátiam omnibús, seorsum tíbi praeterea, Démea.
DE. Gaúdeo. **AE.** Et ego. **SY.** Crédo: fiat hóc perpetuom gaúdium,
Phrýgiam uti meám mecum una uídeam uxorem líberam.
DE. Óptumam quidém mulierem. **SY.** Et príma mammam huiús dedit
Fílio, tuó nepoti. **DE.** Príma uero sí dedit,
Haúd est dubium sério, quin aéquom siet emíttier
Ób eam rem: postrémo quantist árgentum a me súmito.
SY. Ómnes offeránt tibi di sémper optata ómnia.
MI. Hódie processísti pulchre, Sýre. **DE.** Si porro, Mício,
Ófficium tuóm tu facies átque paulum praé manu
Déderis, unde utátur, reddet tíbi cito. **MI.** Istoc uílius.
AE. Ést homo frugí. **SY.** Reddam hercle. **AE.** Dá, pater. **MI.** Post cónsulam.
DE. Fáciet. **SY.** O uir óptume. **AE.** Mi páter o festiuíssume.
MI. Ístuc quid? quae rés repente móres mutauít tuos?
Quód prolubium? quaé subita istaec lárgitas? **DE.** Dicám tibi:
Vt quod facilem féstiuom isti té putant osténderem
Nón ex uera uíta fieri néque adeo ex aequó bono,
Éx adsentando índulgendo lárgiendo, Mício.
Núnc ob eam rem sí mea uita uóbis inuisa, Aéschine,
Iústa iniusta quía non prorsus ómnia omninó sequor,
Míssa facio: fúndite, emite, fácite quod uobís lubet.
Séd si, quae minús uidetis, cúpitis inpensé magis,
Cónsulitis parúm, uos potius própter adulescéntiam
Vóltis corrigere ét reprendere ét secundare ín loco,
Écce me, qui fáciam uobis. **AE.** Tíbi, pater, permíttimus:
Plús scis quid opus fácto. sed de frátre quid fiét? **DE.** Sino
Hábeat: faciat fínem in istac. **MI.** Ístuc recte. **CANTOR.** Plaúdite.

METRA.

1—154 iambici senarii (27^a *Storáx* extra metrum) 155—157 trochaici octonarii 158 trochaicus quaternarius 159—160 troch. oct. 161—166 troch. septenarii 167—196 iamb. octon. 197—208 troch. sept. 209—227 iamb. oct. 228—253 iamb. sen. 254—287 iamb. oct. 288, 291, 292, 298, 303—304 troch. sept. 289, 293—297, 299—302 iamb. oct 305—317 iamb. oct. 318—334 troch. sept. 335—354 iamb oct. 355—516 iamb. sen. 517—539 iamb. oct. 540—591 troch. sept. 592—610 iamb. oct. 611 troch. sept. 612 iamb. sept. 613—614 iamb. sen. 615 troch. sept. 616—617 iamb. sen. 618—624 iamb. oct. 625—637 troch. sept. 638—678 iamb. sen. 679—706 troch. sept. 707—711 iamb. sept. 712 iamb. oct. 713—854 iamb. sen. 855—881 troch. sept. 882—933 iamb. sen. 934—955 iamb. oct. 956—957 iamb. sen. 958 iamb. oct. 959—997 troch. oct.

PHOR

DEMIP

Incertumst quid agam quia praeter spem atque incredibile hoc

Ita sum] *inritatus animum ut nequeam ad cogit

Quam ob rem *omnis cum secundae res sunt ma

[Meditari secum oportet quo pacto aduorsam aerumnam

Cicero Tusc III 10 30 Don *Pericla exilia damna exilia Cic peregre P red

Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae,

Don *Communia esse haec F et BC et fieri Don posse *Don *ut Cic nequidt

Quicdquid praeter spem eueniaet, *omnem (CP)1 id deputare P2

GETA

O Phaedria, incredibilest quantum a (DP)2 *erum *ante eo

*Meditata mihi *sunt mihi *Don in lemm omnia mea incommoda, *Priscia

Lactant Inst *Molendum mihi Lact Don esse est EP Don usque in pistrino

Opus ruri faciundum: horum nihil quicquam accideit E et F animo n

Quidcquid praeter spem eueniet E2 E1, omne id deputabo E esse in l

DEMIPHO.

Incértum quid agam, praéter spem quia átque incredibile óbtigit:
Ita ínritatus ánimum nequeam ad cógitandum instítuere.
Ob quám rem, cum secúndae res sunt máxume, tum máxume
Meditári oportet ómnis quo pacto áduorsum aerumnám ferant.
Perícla damna exília secum péregre rediens cógitet
Aut fíli peccátum, uxoris mórtem, morbum fíliae
Sempér, communia haéc, ut horum néquid umquam animó nouom
Euéniat, omne députare quídquid praeter spém lucro.

GETA.

O Phaédria, incredíbile quantum erum ánte eo sapiéntia.
Meditáta mea, erus sí redierit, súnt incommoda ómnia:
Mihí molendum usque ín pistrino, uápulandum, cómpedes
Habéndae, ruri opús faciundum: níl quicquam horum animó nouom
Euéniet: omne députabo quídquid praeter spém lucro.

…PHO.

…c mihi Op btigit:

…andum instituere.

…axume, ⌞tum⌟ [B] ⌞maxume⌟ [B]

…n fera⌞nt.] [C1]

…eniens semper ⌞secum⌟ [Don] cogitet

…unquam accidat animo ⌞sit⌟ [Cic] nouuom *Eugraphius :

esse in lucro. *Cicero *Don in lemm

…A.

sapientia. *Arusianus

…cianus erus si redierit:

o …, uapulandum Priscianus Don *habendae compedes, *Prisc Don *…

nououm.

lucroū [G] .

Scriptura communis librorum Umpfenbachianorum (uel omnium *A* (α) *DG* (= 𝔇 𝔊 = β) *BCEFP* (= γ) uel generum α et γ) et testium

scriptura codicis α **consensus** α β

scriptura generis β

scriptura generis γ **consensus** β γ

testimonia cum uarietate scripturae uel e…

* * uel * * limites testimoniorum

\- - signum transpositionis

quae post ⌞ sequitur littera uel quae intra ⌞ ⌟ leguntur uel litterae uel uerba in libro uel apud testem, quos color indicat, non exstant.

punctum colore expressum significat litteram uel uocem quae scripturae uariae praecedit in eo libro uel in eo genere cuius indicium color est non exstare; si geminatur punctum, idem de duabus litteris ualet: itaque lucroū.𝔊 denotat in 𝔊 pro lucro inueniri lucrū.

litteris maioribus (sine discrimine coloris) expressi quae genuina, minutis (sine discrimine coloris) quae spuria sunt.

UN…

YC 35154

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C046660420

7684
ad
1896g